B. A. 3015 g

DE

MONVMENTORVM ALIQVOT GRAECORVM CARMINIBVS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

VNA CVM THEMATIS

DIE XVI MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXI

HORA XII

IN PVBLICO DEFENDET SCRIPTOR

GEORG KAIBEL

LVBECENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

HERM. DIELS DR. PHIL.

FRID. SCHVLTESS STVD. PHIL.

FRID. BENEDICT DR. PHIL.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCO · BVECHELER

HERMANNO · VSENER

S.

Digitized by Google

I.

Simonides artis epigrammaticae apud Graecos longe princeps notum est quanto opere omnes qui postmodo hoc genus excolebant, in suam traxerit imitationem, (cf. Benndorf de anth. gr. epigr. cet. p. 12. Schneidewin. Simon. p. 135) quotiensque cum publica potissimum funera ille ornare solitus esset, quibus in simili argumento versandum erat, ei suum ingenium ex divino duce suspensum fecerint. Non hic locus est demonstrare qualis fuerit ars ista Simonidea: tantum et ego scio et omnes confido concessuros esse, in poemate illo quod editiones Demosthenicae nobis tamquam epitaphium Chaeronense imponunt, nihil esse quod praeclari poetae exemplum resipiat. Difficultatibus plerisque bene perspectis quamquam ingenti et interpretamentorum et coniecturarum farragine inde ab Valckenario frustra oneratum est, tamen quod spem conceperam fore ut tandem profligaretur aegerrima lis, ne ego quidem chartulae parcendum duxi. Totum adscribam.

Dem. pro cor. § 289:

Οἵδε πάτρας ἕνεκα σφετέρας εἰς δῆριν ἔθεντο
ὅπλα, καὶ ἀντιπάλων ὕβριν ἀπεσκέδασαν.
μαρνάμενοι δ' ἀρετῆς καὶ δείματος οὐκ ἐσάωσαν
ψυχάς, ἀλλ' Ἀΐδην κοινὸν ἔθεντο βραβῆ,
οὕνεκεν Ἑλλήνων, ὡς μὴ ζυγὸν αὐχένι θέντες
δουλοσύνης στυγερὰν ἀμφὶς ἔχωσιν ὕβριν.
γαῖα δὲ πατρὶς ἔχει κόλποις τῶν πλεῖστα καμόντων
σώματ', ἐπεὶ θνητοῖς ἐκ Διὸς ἥδε κρίσις,
μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν,
ἐν βιοτῇ μοῖραν δ' οὔτι φυγεῖν ἔπορεν.

Digitized by Google

Karsten Batavus (cf. Philol. XIV, p. 413 sq.) primus quod sciam inferioris graecitatis vestigiis detectis suppositicium carmen excepto versu nono notaverat eique accesserunt Kayser (Eos I, p. 308) et Westermann ed. noviss adnot. Ille quidem quae reprehendit alia vera sunt, alia falsa, alia minus gravia: sed ipsam rem acu eum tetigisse novis additis argumentis evincam.

Et primum quidem brevitatem principem epigrammatum virtutem esse multi cecinerunt monueruntque veteres poetae (cf. Hecker comment. de anth. gr. 1852 p. 1 sq.), quam legem in nullum genus magis valere quam in publicorum monumentorum epitaphia cum per se consentaneum putabis tum anthologiae copias perscrutatus statim intelleges. Unum legitur Simonidis epigramma quinque distichorum in Megarensium per bella Persica caesorum funera scriptum; quae tamen amplitudo excusatur necessaria variorum locorum ubi perierint enumeratione. Praeterea eorum qui victores ceciderunt laudatoribus paullo verbosiorem paulloque laetius exultantem Musam liberaliter largiemur. At quis unquam eleganti iudicio homo summam reipublicae atque adeo totius Graeciae cladem, qualis est Chaeronensis, tot versibus deploraverit? atqui quinque sunt disticha inepta garrulitate insignia, neque astricto sententiarum decursu coercita et formulis vocibusque undeunde corrasis referta; poeta ipse rerum veritatis minime curiosus: miserrime victi tamquam victores praedicantur (v. 2), nec vero ubi pugna commissa sit nec quinam manus conflixerint proditur.

Etiam singula carpendi larga copia est. Ne dicam in primo disticho turpiter mendaci quanto opere langueat pronomen *σφετέρας*, intolerabiles paene sunt proximorum versuum ampullae. Omnino coniecturis abstinendum acquiescendumque esse in hyperbato quamvis invenusto, ita ut genetivi *ἀρετῆς καὶ δείματος* accusativo *βραβῆ* subiciantur, nunc quidem inter omnes opinor convenit. Sed vide

Digitized by Google

reliqua. Retine *δείματος*: ineptum habes poetam; corrige *λήματος* cum Valckenario: molestissima est tautologia, cui non patrocinatur Herod. VII, 99 de Artemisia dicens: *ὑπὸ λήματός τε καὶ ἀνδρηΐης ἐστρατεύετο*. Ceterorum commenta nemo animum inducet ut pro veris habeat. Omnia operosa magis quam utili adnotatione constipata percensuit Voemel, qui ipse quod rem ad amussim expediisse sibi visus est, merito miraberis. Non laudabili deinde agglutinandi ratione pergitur ad verba mirifica inscitia ex aliorum poetarum formulis conflata (v. 5: *ὡς μὴ — ἔχωσιν*); cf. Hom. *γ* 486 (*ο* 184): *οἱ δὲ πανημέριοι σεῖον ζυγὸν ἀμφὶς ἔχοντες* et Mnasalc. epigr. A. Pal. VII, 242:

οἵδε πάτραν πολύδακρυν ἐπ' αὐχένι δεσμὸν ἔχουσαν
ῥυόμενοι δνοφερὰν ἀμφεβάλοντο κόνιν.

Melius hercle fecisset ille, si horum exemplum pressius secutus esset. Sed iteratum verbum *ἔχειν* aures respuerunt — quamquam eiusdem non tam teretes fuerunt aures, quin *τίθημι* verbi aoristum ter iuxta poneret v. 1 *ἔθεντο*, v. 4 *ἔθεντο*, v. 5 *θέντες*. Itaque *θέντες* scripsit cuius vocis iustissimus vituperator Karsten, infelicissimus emendator Voemel extitit. Scripsit enim *θεῖσαν*.

Melioris notae quod putabatur poeta etiam de verbis *ἐπεὶ θνητοῖς ἐκ Διὸς ἥδε κρίσις* (v. 7) erratum est cum ab aliis tum ab Westermanno, qui in extremi distichi verbis ipsam *Διὸς κρίσιν* positam esse adnotavit; hoc enim sumpto nescitur plane, cuinam subiecto verbum *ἔπορεν* (v. 10) tribuendum sit. Immo putidae isti musae hoc unum convenit, ut verba ad ea referantur, quae antecedunt. Numerorum sunt complementum ex notissimarum locutionum similitudine confictum, velut *ἐπεὶ μίτος οὗτος ὁ μοιρῶν, ἐπεὶ τόγε πᾶσι πρόκειται* aliae; cf. Hom. *λ* 218: *ἀλλ' αὕτη δίκη ἐστὶ βροτῶν*. At importuna sunt! recte, sed non tam ego interpres incusandus quam poeta rusticus.

Iam denique postquam omnes eloquentiae suae copias exhausit, magnificam quandam orationi gemmulam addit:

Digitized by Google

μηδὲν ἁμαρτεῖν κτλ'., pulcherrimum hexametrum, pentametrum deterrimum. Duplex est sententia: nihil peccasse deorum est, hominibus fatum fugere fas non est. Quare plane necessarium puto, post *κατορθοῦν* distingui, non post *ἐν βιοτῇ*, quod perperam fecit factumque probare frustra studuit Voemel. Sola enim verba *μοῖραν δ' οὔτι φυγεῖν ἔπορεν* nihil efficiunt oppositionis, cf. *Z* 488: *μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν*. Adde *ἐν βιοτῇ* et ex poetulae saltem sententia omnia sana sunt. Hoc si pro vero cognoris, ipse iudices qualem dicendi artem redoleat pentameter. Ne plura: num revera hanc putabimus naeniam in funestissimi diei Chaeronensis memoriam scriptam esse eamque eos mortuos celebraturam, qui quamvis dis invitis laeto tamen animo vitae periculum fecerant pro patriae reciperanda libertate? Num vero Athenienses cultissimos homines putabimus Simonidei exempli plane immemores tironem delegisse eis collaudandis deflendisque, quos oratione funebri exornandos tradiderunt Demostheni? Ambabus equidem Karstenii verissimum iudicium amplectior.

At cum umbra pugnasse videbor; quippe illud quod fusius castigavi epigramma, revera nullum est. Parisinum enim Σ antiquissimam et integerrimam Demosthenis memoriam servare, cum numerorum notae quae subscriptae habentur vetustissimae [1]) tum *Ἀττικιανὰ* ista *ἀντίγραφα*, quorum Harpocratio commemorat lectiones nonnullas mirifice cum Σ facientes satis superque commonstrant. Epigramma autem nec in Parisino nec in Augustano aut Laurentiano aut Vindobonensi legitur. Itaque quoniam absurdum utique est, in omnibus illis codicibus, quos non unum ex altero excriptos esse constat, epigramma suspicari casu

1) Notis vetustioribus ad versuum numeros, recentioribus ad numeros librorum significandos qui papyros Herculanenses scripserunt usos esse docet Ritschl opusc. I p. 102. Posteriorem vetustiorum memoriam non invenio.

Digitized by Google

quodam fortuito intercidisse, vel idcirco in Karstenii partes transire necesse est [1]).

Huic vero sententiae ipse Demosthenes parum favere videtur, siquidem postquam scriba legendi carminis finem fecit, sic pergit: *Ἀκούεις, Αἰσχίνη, καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ τὸ μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν· οὐ τῷ συμβούλῳ τὴν τοῦ κατορθοῦν τοὺς ἀγωνιζομένους ἀνέθηκε δύναμιν, ἀλλὰ τοῖς θεοῖς* [2]). Hinc Westermanno aliis consectarium videtur, versum *μηδὲν ἁμαρτεῖν κτλ'*. unum de genuino superesse epigrammate. Quod vehementer vereor ut recte iudicetur. Parisini lectionem si tuemur — et est hercle tuenda — hoc ait orator: etiam ea quade agatur re effici, ut vere dictum videatur illud *μηδὲν κτλ'*. Itaque non quasi novum et quod tunc primum audiisset Aeschines istud protulit, sed tamquam *τριγέροντα μῦθον*, dudum apud omnes divulgatum. Et fuit sane prisca vox, quae quidem late invaluit apud Graecos. Humanam in omne genus er-

1) Ceterum sunt in epigrammate, quae non aliena putem ab his oratorum locis. Cum v. 1 sq. iam Westermann comparavit Lycurg. p. 21 sq. Herm.: *εἰ δὲ δεῖ καὶ παραδοξότατον μὲν εἰπεῖν, ἀληθὲς δέ, ἐκεῖνοι νικῶντες ἀπέθανον.* cf. de simili re Isocr. Paneg. § 92. Lycurgum igitur male intellectum superavit poetulae magniloquentia. — Ad verba *ὅπλα εἰς δῆριν ἔθεντο* quod attice dictum esse iniuria negarat Karsten, cf. Lyc. p. 20, 6. H.: *ὅπλα θέμενοι ὑπὲρ τῆς πατρίδος* (Harpocr. *ὅπλα θέμενοι: ὁπλισάμενοι*). — Eiusdem orat. p. 21, 7, H. *κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀνάλωσαν* conferri possunt cum v. 3 sq.: *μαρνάμενοι — οὐκ ἐσάωσαν — ψυχὰς — οὕνεκεν Ἑλλήνων* coll. Lycurg. p. 21 fin. -- Ad v. 4 non invenio quod accurate respondeat. Similis tamen est Hyperides epitaph. col. XIII Bl.: *ἐν Ἅιδου δὲ λογίσασθαι ἄξιον κτλ'*. coll. c. XIV. 19 sqq., ubi heroes Homerici atque Harmodius et Aristogiton tyrannicidae qui Leostheni dextras iuncturi obviam eunt tamquam virtutis eius arbitri cogitantur.

2) Errat de Parisini scriptura Westermann, in qua constituenda Turicenses ego secutus sum.

Digitized by Google

rorum proclivitatem saepissime praetendi ad peccata excusanda vel pueri sciunt, neque hilum proficiemus, si tales locos huc advocaverimus, qualis est Sophocleus Antig. 1023:

ἀνθρώποισι γάρ
τοῖς πᾶσι κοινόν ἐστι τοὐξαμαρτάνειν.

Contrarium potius spectabimus: solos deos omni errore immunes praedicari. Huius autem sententiae Chaeronensi epitymbio longe antiquior testis extitit Lysias apud Rutil. Lup. II, 8 R[1]), cuius verba ad brachylogiam quaenam sit illustrandam haece afferuntur: 'Sed vos aequum est voluntatem dispicere[2]); nam consilio valuit (*κατορθοῦν*), fortuna lapsus est (*ἁμαρτάνειν*), homo fuit, fatetur. Concedendu m('homini' add.Valck.) non omnia posse; hoc enim deorum est proprium (*πάντα κατορθοῦν ἐστι θεῶν*)'. In aprico est ad verbum paene haec convenire cum versu Demosthenico. Simillimum attulit Voemel[3]) Aristidis locum or. 46 p. 331 D: *Πλάτων — πῶς ἀξιώσει συλλήβδην πάντα κατορθοῦν καὶ πάντων κρατεῖν ἄνθρωπον.* Vides hic quoque verba *πάντα κατορθοῦν* iuxta posita numeros prodere. Paullo inversa eadem sententia utitur idem or. 31 p. 592 D, verba vero eiusdem sunt originis: *νέμουσι δὲ* (*θεοὶ τοῖς ἀνθρώποις*) *τὰ πλείω κατορθοῦν, οὐ πάντα.* Denique locupletissimus

---

1) Eique suppar Andocides de red. suo § 6: *ἀλλ' ἔστιν ἐν τῷ κοινῷ πᾶσιν ἀνθρώποις καὶ ἐξαμαρτεῖν τι καὶ κακῶς πρᾶξαι. ὧν ἕνεκα ὦ Ἀθηναῖοι εἰ ἀνθρωπίνως περὶ ἐμοῦ γιγνώσκοιτε, εἴητε ἂν ἄνδρες εὐγνωμονέστεροι.* Habent haec similitudinis aliquid cum Suidae notatione s. v. *συγγνώμονα.*

2) Male Voemel cum Lysiae verba adscriberet exordium omisit: 'sed vos — dispicere'. Ex his enim ipsis plane claresci t, non modo Lysias in quanam rerum opportunitate ista sententia usus sit, sed etiam Demosthenes quanto iure ad eam provocaverit. Nam etiam Demosthenis qui bellum Philippicum suaserat aequum est non successum sed voluntatem dispicere.

3) Fugit eundem Petronii c. 75: nemo — nostrum non peccat. homines sumus, non dei.

Digitized by Google

auctor adesto Suidas s. v. *συγγνώμονα*: *οὐ χρὴ πικρὸν εἶναι καὶ ἀπαραίτητον —. ὀρθῶς γὰρ εἴρηται· τὸ μηδὲν ἁμαρτεῖν θεοῦ ἐστι καὶ πάντα κατορθοῦν.* Quae unde hauserit nec scio nec scire refert. Certe ille quisquis fuit *γνώμην* istam ita in vulgus notam esse pro certo habuit, ut vel demptis numeris hexameter fore ut agnosceretur speraret. Quem ego quovis pignore spondeo quarto a. Chr. n. saeculo vetustiorem fuisse. Iam vero cum omnino mos fuerit Graecis id genus sententias distichi spatio comprehendere, tum negativis praecipue sententiis hexametro expressis positivas pentametro coercitas subnectere solebant, et contra: hexameter quasi protasis est, apodosis pentameter. Apodosin igitur quam maxime flagitat illud *μηδὲν ἁμαρτεῖν*. Haec vero qualis fuerit et res ipsa fert et scriptorum quos excitavi testimonia produnt. Fuit enim haec: Nihil peccasse deorum est; homo nunquam non in erroribus versatur. Iam vide sis epitaphii distichum: Nihil peccasse deorum est, in vita vero fatum fugere non datur. Sententias parum acriter inter se oppositas, verba ipsa parum graeca intelleges; nec boni sunt nec veteris poetae, opinor. Adde alterum: quis enim unquam audierit optimae aetatis titulum sepulcralem eumque publico monumento insculptum loco quodam communi quem vocant saepe a multis decantato offucatum fuisse! Ac vero licet aliquis non incredibile hoc censuerit — ego quidem censeo —, certe tale quid fuerit necesse est, qnale supra proposui, ut ludam:

ἀλλ' ἕπεται θνητοῖς ἀνδράσιν ἁμπλακίη.

coll. Theogn. 327. Poeta vero cum longe aliam longeque alienam pentametro intruserit sententiam, hanc pro suo ingeniolo de trivio lectam arripuisse putandus est hexametro subiciendam, quem utpote a Demosthene commemoratum in ipso epitaphio fuisse falso opinabatur.

Ad oratoris verba delati sumus. Gravissimum probrum fecit Aeschines (Ctesiph. § 527) Demostheni: *καὶ γὰρ ναυτικὴ καὶ πεζὴ στρατιὰ καὶ πόλεις ἄρδην εἰσὶν ἀνηρπα-*

Digitized by Google

σμέναι ἐκ τῆς τούτου πολιτείας. Contra quae praeclare Demosthenes (cor. § 274 sq.) monuerat, qui invitus lapsus esset eum misericordia magis quam conviciis dignum esse: se quidem id suasisse quod rei publicae commodum putasset. Dixerat improbi hominis esse opprobrium ac ne cives quidem Athenienses, quorum familiares cognatosque pugna pessum dedisset, sibi irasci, quippe qui de omnibus se unum elegissent *τὸν ἐροῦντ' ἐπὶ τοῖς τετελευτηκόσιν.* Denique ut non temere bellum initum esse demonstraret, epigramma recitari iubet, *ὃ δημοσίᾳ προείλεθ' ἡ πόλις αὐτοῖς ἐπιγράψαι.* Quo audito: Cognosti, inquit, Aeschines, in hoc quoque illud *μηδὲν ἁμαρτεῖν.* Ex verbis *καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ* hunc versum ipsius epigrammatis fuisse non rectius quis concluderet, quam ex § 289 (*λέγε δ' αὐτῷ — τὸ ἐπίγραμμα — ἵν' εἰδῇς, Αἰσχίνη, καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ σαυτὸν ἀγνώμονα καὶ συκοφάντην ὄντα καὶ μιαρόν*) efficeret, Aeschinem in ipso epigrammate imperitum et sucophantam et scelestum fuisse praedicatum. Tantum ait, ex carmine apparere, deos quidem errore immunes esse, homines non item. Manifesto autem orator pro egregia sua disponendi arte nunc ubi finem facit publica sua consilia defendendi, eo relabitur, unde *εἰπεῖν περὶ τῶν κοινῶν* coeperat, ad § 270. Ibi enim (§ 274 sq.) haec dixerat: *ἀδικεῖ τις ἑκών· ὀργὴν καὶ τιμωρίαν κατὰ τούτου. ἐξήμαρτέ τις ἄκων· συγγνώμην ἀντὶ τῆς τιμωρίας τούτῳ. οὔτ' ἀδικῶν τις οὔτ' ἐξαμαρτάνων εἰς τὰ πᾶσι δοκοῦντα συμφέρειν ἑαυτὸν δοὺς οὐ κατώρθωσεν μεθ' ἁπάντων· οὐκ ὀνειδίζειν οὐδὲ λοιδορεῖσθαι τῷ τοιούτῳ δίκαιον, ἀλλὰ συνάχθεσθαι. — Αἰσχίνης τοίνυν τοσοῦτον ὑπερβέβληκεν ἅπαντας ἀνθρώπους ὠμότητι καὶ συκοφαντίᾳ, ὥστε καὶ ὧν αὐτὸς ὡς ἀτυχημάτων ἐμέμνητο, καὶ ταῦτ' ἐμοῦ κατηγορεῖ.* Ibi quae latius exposuerat, iam epigrammate illustrat. In quo tale quid fuisse finge: 'hic nos iacemus immania passi; conati enim patriam liberare misere occidimus' — his recitatis nonne optime se accommodant oratoris verba? Et optime pergit: *οὐ τῷ συμβούλῳ*

Digitized by Google

τὴν τοῦ κατορθοῦν τοὺς ἀγωνιζομένους ἀνέθηκε τὴν δύναμιν, ἀλλὰ τοῖς θεοῖς. Demosthene auctore subiere pugnae discrimen, deorum numine conamen male cessit [1]).

Quod ego argumentum fere genuini epitymbii fuisse significabam, id non temere a me iactatum esse scito. Quo enim saepius philologo tristissimum amputandi extirpandive munus iniungitur, eo gratius accidit, si quando amputatis extirpatisve sana germanaque substituere contingat. Ac mihi fortasse contigit. Proximis enim temporibus cum forte quaestione ab amplissimo philosophorum Bonnensium ordine proposita inductus in colligendis disponendisque titulis metricis post Welckeri Syllogen inventis versarer, incidi in fragmentum marmoris pentelici prope Olympieum Athenis inventum, quod Pittakes edidit in Ephem. arch n. 545:

ΕΓΑΝΤΟΙΩΝΟΝΗΤΟ
ΟΣΗΜΕΤΕΡΩΝΓΑΣ

Numeros manifestos lactabar quod suppleri videbam ex A. Pal. VII. 245:

Ὦ Χρόνε, παντοίων θνητοῖς πανεπίσκοπε δαίμων,
ἄγγελος ἡμετέρων πᾶσι γενοῦ παθέων·
ὡς ἱερὰν σώζειν πειρώμενοι Ἑλλάδα χώραν
Βοιωτῶν κλεινοῖς θνήσκομεν ἐν δαπέδοις.

Scriptum est epigramma in homines graecos qui proelio de

1) Themistius iam et Libanius (cf. Voemel p 335) epigramma noverunt. Interpolationis enim labe omnium oratorum maxime Demosthenem vel ante Ciceronis aetatem adspersum esse docet Usener Mus. Rh. XXV. p. 597 sqq. Quanto magis tirones qui in rhetorum ludis Demostheni operam navabant hoc egisse censebimus ut arrepta ingenii ostentandi opportunitate epigramma quod cum nunquam Demosthenes adscripsisset, tamen temporum invidia periisse opinabantur sufficerent. — Ceterum Themistius Demosthenem secutus epigramma ipsum subiectum fecit: *καὶ γὰρ τοῖς θεοῖς μόνοις τὰ πάντα κατορθοῦν ἀπονέμει.*

Digitized by Google

patriae salute conserto in agro boeotico ceciderunt. Sinistro eventu usi sunt: neque enim aequum censuerunt Graeci de morte queri, qua victoria parta esset [1]). Cladem prodit etiam participium *πειρώμενοι*, totius praeterea carminis gravis maestitia.

Ad v. 3 scholiasta Wechelianus duas proposuit coniecturas: *οὗτοι ἴσως εἰσὶν οἱ Ἀλεξάνδρῳ καὶ Μακεδόσιν ἀντιτεταγμένοι, ὧν ἦν καὶ πολυάνδριον τῶν Θηβαικῶν πυλῶν οὐ μακράν, ὡς Παυσανίας ἐν Βοιωτικοῖς· ἢ μᾶλλον τὸ ἐπίγραμμα ἐπεγέγραπτο τοῦτο* (cod. *τοίτῳ* corr. Buecheler) *τῷ πολυανδρίῳ τῷ ἐν Χαιρωνείᾳ τῶν ἐν τῷ πρὸς Φίλιππον ἀγῶνι ἀποθανόντων*. Neutrum quidem verum est; nec Thebis nec Chaeroneae fragmentum effossum. Tamen recte illi quid veri esset suboluit. Kekulei enim v. cl. monitu Ulricum Koehlerum literis adii, cui gratias debeo quam maximas quod statim rogatus liberalissime mecum communicavit, quid de lapidis aetate atque natura sibi statuendum videretur. Scripsit autem vir epigraphices graecae peritissimus, litterae curiose insculptae fieri non posse quin anno a. Chr. n. 350 inferiores, anno autem 300 vetustiores sint; lapidem nunc quidem muro infixum ab superiore parte et ab dextro latere manifestis oris terminatum esse; a dextra alterum lapidem ei continuatum fuisse videri; litterarum autem vestigia quae post singulos versus Pittakes expresserit, inferioris aetatis manum illusisse [2]).

Iam illud quod ab Koehlero significatum est temporis spatium memoria perlustranti nullum obvium erit proelium quo rectius epigramma referatur, quam ad Chaeronense; nam de bello Lamiaco ne cogitetur sescentae fere prohibent causae. Tunc autem temporis recte *ἱερά* praedi-

1) Cf. v. 2: *ἡμετέρων παθέων* cum Lycurg. Leocr. p. 164 fin.: *τὸ γεγονὸς πάθος*.

2) Has itaque omnino neglegendas existimavi.

Digitized by Google

cari potuit Graecia, utpote nondum unquam barbarorum iugum passa. Cf. Simon. ep. in Corinthios apud Salaminem occisos: *ἱερὰν Ἑλλάδα ῥυσάμεθα.* Eleganter *Βοιωτῶν κλεινοῖς ἐν δαπέδοις* mortui esse dicuntur; laudantur nempe Boeoti, qui tandem Demosthenis inprimis eloquentia devicti Atheniensium partes capessierint. Merito denique ipse *Χρόνος* invocatur, qui omni posteritati tanti certaminis memoriam tradat [1]).

Inscribitur autem in cod. Palat. epigramma hoc lemmate: *τοῦ αὐτοῦ* (i. e. Gaetulici, cuius carmen in Argivos Lacedaemoniosque apud Thyream interemptos proxime praecedit) *εἰς τοὺς αὐτοὺς Λακεδαιμονίους.* Quamlibet ineptum fingamus scholiastam: hoc ne vilissimo quidem ingenio tribuemus, ut quos modo apud Thyream occubuisse legerat, eos non diversos esse intellexerit ab his, qui in Boeotia pugnasse dicuntur. Lemma longe aliud spectat epigramma cui suspicioni non desunt quae faveant argumenta. Ordinem enim carminum quae in singula capita Cephalas distribuit, non fortuitum temerariumve esse, hodie nemo nescit. Sic ea quoque epigrammata, quae sive vera sive ficticia in polyandria hominum celeberrimis proeliis occisorum scripta sunt, certis finibus ab ceteris discreta leguntur in Anthol. Pal. VII, 242—259. Unum intercedit alienum n. 254*; ordinis vero turbati prompta est explicatio in lemmate appicto: *εἰς Βρόταχον, Σιμωνίδου· τοῦτο δισσῶς κεῖται.* Igitur quamquam alio loco non reperiatur, tamen errore huc delatum esse patet, cum praesertim non in ipsa codicis pagina, sed in superiore margine diversa manu scriptum sit. *Σιμωνίδου* nomen nimirum ex antecedente lemmate hau-

1) Cf. Hyperid. fragm. ap. Poll. II, 14: *Ὑπερίδης δὲ τὸν ἀγήρατον χρόνον* (scil. *εἴρηκεν*). Ad epitaphium verba Babington (non Sauppe ut Blass ait) rettulit. Quod si recte fecit, probabile videtur Hyperidem ad tempus perenne tamquam virtutis Leostheneae nuntium similiter provocasse atque in epigrammate factum est.

Digitized by Google

stum. Nec vero eis quos indicavi numeris omnia publicorum sepulcrorum epigrammata continentur; eiusdem generis sunt epp. 301. 312. 430. 431. 512, quorum quod postremo loco posui facile primaria sede migrasse convincitur. Simonidis nomen cum prae se ferat, tamen hoc nihil reperietur magis indignum. Nunquam enim per huius simplicitatem licuit epigramma tam arguto acumine distinguere:

τῶνδε δι' ἀνθρώπων ἀρετὰν οὐχ ἵκετο καπνός
αἰθέρα δαιομένης εὐρυχόρου Τεγέας.

Demonstrativum est si quod aliud [1]). Sine nomine autem cum loco suo deerrasset, forte in sat longum Simonideorum ordinem delatum est indeque lemmate *τοῦ αὐτοῦ* praefixo Simonideam auctoritatem sibi arrogavit.

Epigrammata 301 et 312 cur locum mutaverint, nondum mihi perspectum est; alterum in cod. Pal. Asinii Quadrati, apud Planudem *ἄδηλον* inscribitur. Neque unquam continget, ni fallor, ut varios loci mutati casus ad unum omnes quis enodet. Ipsius enim, quo solo nitimur, Palatini index docet, tota capita longe aliter quondam fuisse disposita nec iam integrum esse aut redintegrari posse ordinem Cephalanum (cf. Iac. Proll. p. LXV); quanto graviora singulis carminibus accidisse veri est simile!

Facilius erit de epp. 430 et 431 iudicium; utrumque in Thyreatidem pugnam scriptum, prius eos celebrans, qui tres numero de caede superstites fuerint, alterum trecentos Lacedaemonios collaudans victoriosa morte abreptos. Sequuntur compluria variorum poetarum carmina, quibus omnibus hoc est propositum, ut singulorum quorundam Lacedaemoniorum virtutem singulari laude efferrent. Hinc explicatur quo iure duo illa epigrammata Thyreatica eum quem obtinent locum occupaverint. Ad alterum autem horum aut egregie fallor aut lemma pertinuerat, id quod nunc Gaetulici versibus praescriptum legitur: *εἰς τοὺς αὐτοὺς Λακεδαιμονίους.*

1) Non aliter ut par est Bergk iudicavit.

Digitized by Google

Hac igitur expedita difficultate restat ut Gaetulicus qui factum sit ut eius quode agitur carminis poeta feratur exponam; in quo de ipso homine quae indagare potui non importunum duxi componere.

Novem sunt Anthologiae graecae epigrammata Gaetulici nomine insignita [1]), eroticum unum V, 17, cuius magnam esse similitudinem cum Antipatri Sidonii ep. 53 ap. Iac. vol. II p. 21 adnotaverunt editores. Gaetulicus per mare Ionicum ad Idotheam suam rediturus Cyprin marinam ut faustum sibi ventum immittat implorat. Antipatro eadem dea si sacra fecisset suum pollicetur favorem. Uterque seu vera sive ficticia paupertate pressus exigua tantum munuscula praestare valet, ternis utrumque carmen distichis decurrit. Utrique dea audit *δεσπότις*, alteri *ἠϊόνων*, alteri *ἠϊόνος*. Apud Antipatrum dea *ἐγώ* inquit *δέ σοι ἢ ἐν ἔρωτι οὔριος ἢ χαροπῷ πνεύσομαι ἐν πελάγει*. Gaetulicus precatur: *οὔριος ἀλλ' ἐπίλαμψον ἐμῷ καὶ ἔρωτι καὶ ἱστῷ*, uterque vocem *οὔριος* in exordio alter pentametri, alter hexametri posuit. Cf. denique Antip. v. 3 cum Gaet. v. 3: verba *γὰρ ἐπὶ πλατὺ* apud utrumque easdem versus sedes obtinent.

Chaeremonis opes Gaetulicus decerpsit VII, 244; cf. Chaer. ep. 1 ap. Iac. vol. II p. 56. Thyreatidem pugnam binis uterque distichis celebrans in eisdem uterque sententiolis versatur: totidem Lacedaemonios fuisse quot Argivos, neminem de proelio evasisse; hemistichium *Θυρέαι δ' ἦσαν ἄεθλα δορός* utrique commune. Denique cf. Chaer. v. 4: *οἰωνοῖς θανάτου λείπομεν ἀγγελίαν* et Gaet. v. 3: *ἔνθα μάχην ἔτλημεν ἀνάγγελον*.

Gaudere vides Gaetulicum furtivis coloribus: omnino non posse suis pedibus stare videtur. Ne perdam bonam chartam, ipse conferas inter se Leonidae epigramma A. Pal. VI, 300 et Gaetulici ep. VI, 190. Non sententias tantum,

1) Interdum leves corruptelas nomen traxit, non tamen eas, quas neglegere nefas sit; cf. Iac. catal. poet.

Digitized by Google

sed verba quoque singula, verborum collocationem, atque adeo litteras in conspicuis quidem locis positas imitatus est. Ita fere nimia est congruentia, ut Leonidae locum ex Gaetulico emendatum iri confidam. Minutiae quaedam Veneri dicantur. Leon. v. 4:

καὶ τοῦτο χλωρὸν σῦκον ἀπὸ κρίδιον.

sic enim Pal. liber. Iacobs edidit *ἀποκράδιον*, quod languidissimum vocabulum quomodo amoliamur quasi digito monstrat Gaetulici v. 4:

καὶ μελιηδὲς
πρώϊον εὐφύλλων σῦκον ἀπ' ἀκρεμόνων.

Scribendum videtur: *καὶ τοῦτο χλωρῶν σῦκον ἀπὸ κραδέων*, quo etiam codicis scriptura *ἀπὸ* ducit. cf. Palladae epigr. A. Pal. IX, 377, 6: *καὶ βραβύλους καὶ μῆλα, τί τηλίκον ἀνδράσι νεκροῖς — δίψος ἀπὸ χλωρῶν γίγνεται ἀκροδρύων;*

A. P. VI, 154 Gaetulici esse praecise nego. Lemma Palatinum: *Λεωνίδα Ταραντίνου, οἱ δὲ Γαιτουλικοῦ.* Planudes Leonidam tantummodo novit poetam. Accedit alterum. Non fugit Weigandium Mus. Rh. III p. 168 libri sexti epigrammata 109—163 tantum non omnia eorum esse poetarum, quos in Meleagream Coronam receptos esse scimus. Idem cum verissime Gaetulici nomen 'cum temporibus Meleagri non satis convenire' dicat, nemo dubitabit Leonidae carmen accensere. Vides mature iam Gaetulicum perpetuum Leonidae pedisequum agnitum fuisse; hinc enim ambiguum lemma explicandum.

Epigrammatis VII, 71 materiam certe Leonidae (VII, 408) debuit. Iambographorum par Archilochum Gaetulicus, Leonidas Hipponactem praedicant; cf. Gaet. 5 cum Leon. 1 sq. Utrumque carmen ternis distichis scriptum.

Nec cum Astydamantis Cretensis tumulum epitymbio ornaret, Gaetulicum (VII, 275) Leonidae exemplum (VII, 273) ante oculos habuisse negari potest. Cf. Leon. v. 5 sq.:

κἀγὼ μὲν πόντῳ δινεύμενος ἰχθύσι κύρμα
οἴχημαι· ψεύστης δ' οὗτος ἔπεστι λίθος.

Digitized by Google

et Gaet. v. 3 sqq.

ἀλλ' ὁ μὲν ἤδη
ἔπλησεν θηρῶν νηδύας εἰναλίων.
τὸν ψεύσταν δέ με τύμβον ἐπὶ χθονὶ θέντο· τί θαῦμα;
Κρῆτες ὅπου ψεῦσται καὶ Διός ἐστι τάφος.

Extremo versui mendum ni fallor eximendum. Scripserim: *ψεῦσται Κρῆτες, ὅπου καὶ Δ. ἐ. τ.* In errorem librarium induxere notissimi numeri: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.* Cretas improbos increpat etiam Leonidas VII, 654: *αἰεὶ λησταὶ καὶ ἀλιφθόροι, οὐδὲ δίκαιοι Κρῆτες.* — Versuum numerus compar est.

Quae restant duo Gaetulici epigrammata in mythologicis argumentis versantur. VII, 354 in Medeae liberorum sepulcrum nullo acumine nulla elegantia scriptum est. Alterius distichi fontem quaeras apud Eur. Med. 1381 sqq. N.:

γῇ δὲ τῇδε Σισύφου
σεμνὴν ἑορτὴν καὶ τέλη προςάψομεν
τὸ λοιπὸν ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φόνου.

Gaetulicus enim:

οἷς αἰεὶ πέμπει μειλίγματα Σισυφὶς αἶα
μητρὸς ἀμειλίκτου θυμὸν ἱλασκομένα.

ζᾶλος autem Medeae (v. 2) ex variis in Timomacheam artem carminibus pernotus fuit. cf. Antiphil. ep. A. P. IV, 136: *τὰν ὁλοὰν Μήδειαν ὅτ' ἔγραψε Τιμομάχου χείρ — ζᾶλῳ καὶ τέκνοις ἀντιμεθελκομέναν.* cf. ibid. 135, 1. 137, 6. 139, 3.

Alterum Alconem fingit pharetram sagittasque e quercu suspendentem, quibus Phalerum filium horrido dracontis amplexu implicatum feliciter liberaverit (VI, 331). Eandem rem narrant Manilius V, 304 sqq. et Valer. Flaccus Arg. I, 397 sqq. Primum distichon:

παῖδα πατὴρ Ἄλκων ὁλοῷ σφίγχθέντα δράκοντι
ἀθρήσας δειλῇ τόξον ἔκαμψε χερί

certe indidem fluxit, unde Flacci versus:

nam lapsus ab arbore parvum
ter quater ardenti tergo circumvenit anguis.
stat procul intendens dubium pater anxius arcum.

Digitized by Google

Communis fons Varro Atacinus opinor fuit. Argon. III, frg. 2 (ed. Riese p. 262):

cuius ut aspexit torta caput angue revinctum.

Hic verba 'aspexit' et 'revinctum' bene congruunt cum Gaetulici *ἀθρήσας* et *σφιγχθέντα*. Riese conferendos adnotavit Apollonii versus III, 1214:

πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο
σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δρακόντες,

quorum similitudo perlevis est. Apollonius quod Alconis periculum metumque non tetigit, hoc minime contra me facit. Nam ut Germanicum in Arato latine vertendo liberius egisse scimus, ita ut 'fabulas nonnullas Arato plane intactas' adderet (cf. Frey epist. crit. de Germ. Arati interpr. Culm. 1861 p. XXIV), non magis anxie Varro exemplar graecum secutus est. Immo hic quoque saepius quae Apollonius leviter perstrinxerat, pluribus persecutus esse videtur non in uno Rhodio poeta se continens. Cf. quae ex Varronis Argonauticis enarrat Probus ad Verg. Georg. I, 14 cum Apoll. II, 500 sqq. Haec si recte posui, illud de Alcone fragmentum non cum Riesio tertio libro sed primo accensendum est coll. Apoll. I, 97:

Ἄλκων μιν (Phalerum filium) *προέηκε πατὴρ ἑός· οὐ μὲν ἔτ' ἄλλους*
γήραος υἷας ἔχεν βιότοιο τε κηδεμονῆας.
ἀλλά ἑ τηλίγετόν περ ὅμως καὶ μοῦνον ἔοντα
πέμπεν, ἵνα θρασέεσσι μεταπρέποι ἡρώεσσιν.

Hic enim peropportunum longius expatiandi locum Varroni fuisse existimo.

Gaetulici aetatem ignoramus; recte enim Iacobs alii diversum iudicaverunt Cn. Lentulum Gaetulicum, 'quem de coniuratione suspectum a Caligula occisum esse tradit Sueton. Cal. c. 6.' Iac. catal. poet. p. 896. Sed cum — id quod immemorem me optime monuit Buecheler — ille quem Caligula occidit, Cn. Cornelii Lentuli Cossi, Gaetulorum a. I a. Chr. n. devictoris filius 'adulescens in omnium virtutum

Digitized by Google

exempla genitus' (Vell. II, 116, 2. cf. Nipperd. ad Tac. Ann. IV, 42) primus Gaetulico cognomine usus sit (Vell. l. m. s.: 'Cossus victoriae testimonium etiam in cognomen filii contulit'), certe graecus quem petimus poeta cognominis etiam ad inferiora tempora referendus est. Plura nunc quidem exputare non licuit.

Sed utut est, quoniam homo romanus Chaeronense funus suis versibus ornare nequivit, conieceris forte, Gaetulicum ex genuini epitaphii imitatione duo illa disticha composuisse. At primum admirabili quodam casu accidisset, si ea ipsa verba lapis servasset, quae integra Gaetulicus recepisset. Tum vero simplicius est carmen quam quod ut demonstrativum poetae non tam vera quam magnifica quaerenti tribuam.

Quid igitur? Lemma *Γαιτουλικοῦ* spurium est. Epigrammata quae Cephalas nobis tradidit, cum ex compluribus anthologiis diversissima ratione compositis paullatim in unum congesta sint corpus, hic totiens mutatus ordo nihil tristiore clade afflixit quam lemmata. Multis iam exemplis probatum est pluribusque etiam probari poterit, quot carmina falsis poetarum nominibus circumferantur. Medii aevi sive exeuntis antiquitatis levitatem criminabimur, quod qui tunc temporis colligendis digerendisque epigrammatis vacabant, eximio quodam vacui horrore ducti cuiuslibet poetae nomine quam molestissima *ἄδηλον* nota singula carmina quae *ἀδέσποτα* ferebantur insignire maluerint. Simili de causa Herodiani auctoritatem temere scholiis Homericis anonymis saepius inculcatam esse exponentem lege Lentzium praef. p. CXIX. Sed in hanc rem quaesitu dignissimam curatius inquirere nunc non est consilium. Unum exemplum Simonideum supra attuli; alia meris erroribus danda sunt, quo ex genere unum habeto. A. P. VII, 344 Simonidis est carmen leonis simulacro subsculptum:

Θηρῶν μὲν κάρτιστος ἐγώ, θνατῶν δ' ὃν ἐγὼ νῦν
φρουρῶ, τῷδε τάφῳ λαΐνῳ ἐμβεβαώς.

Digitized by Google

ἀλλ' εἰ μὴ Θυμόν γε Λέων ἐμὸν οὔνομα τ' εἶχεν,
οὐκ ἂν ἐγὼ τύμβῳ τῷδ' ἐπέθηκα πόδας.

Dubitavit Iacobs Leontem an Leonidam appellaret hominem. Sequitur in cod. Pal. distichon quod iterum legitur supra VII, 187 lemmate τοῦ αὐτοῦ (i. e. Philippi) notatum. In Planudea vero non Philippo sed Leonidae adscribitur, quod nomen unde fluxerit, facile intellegitur. Nimirum cum primo interpretamenti instar carmini superiori adiectum fuisset, mox errore in proximum lemma detractum est. Simile quid v. ap. Schneidewinum in Progymnasm. in Anth. Palat. progr. Gotting. 1855 p. 21.

Piam vero ut aiunt fraudem is nobis fecit, qui Chaeronense epitymbium Gaetulico assignavit. Ut enim titulis monumentorum non addi solebant poetarum nomina, sic illud quoque qui excripsit ex lapide, poetam ignoravit retulitque in adespotorum numerum. Postea vero cum iuxta Gaetulici in Thyreatidem pugnam epigramma collocatum esset, facili opera Byzantinus quidam monaculus putavit adespoto carmini δεσπότην posse vindicari. Superscripsit enim τοῦ αὐτοῦ. Similia si similibus confirmantur, conferas egregiam de carmine pseudanacreonteo Kirchhoffii disputationem in Sitzgsber. d. Berl. Acad. 1871 p. 373 sqq.

Stat mea sententia: eliminandum illud loco suo indignissimum poema ex editionibus Demosthenicis; substituendum quod Gaetulici nomen iactabat epigramma simplicissimum et rei perquam accommodatum. 'Diomedis hercle arma et Glauci non dispari magis pretio aestimata sunt.'

II.

Brevius alterum libelli caput pertendam. In Bull. arch. 1847 p. 122 sq. Henzen ex Abekenii auctoritate anaglyphum Constantinopoli repertum descripsit. Exsculptus auriga est,

Digitized by Google

qui coronam et flagellum manibus tenens in quadrigis adstat magna hominum caterva cinctus, qui gaudio exultantes victori plausus ferunt. Equorum nomina appicta haece: *Νικοπόλεμος*, *Ῥαδίατος*, *Πύρρος*, *Εὐθύνικος*. Supra epigramma mutilum inscriptum est metricum:

· · · ΟΙCΠΑΥCΑΜΕΝΟΙCΙΝ
. . . . ΡΟΥΡΙΩΒΑCΙΛΕΥCΤΟΥΤΟ . .
ΠΟΛΛΑΚΙΝΙΚΗCΑCΑCΤΑΡΕΟΙCΠC . . .
ΛΑΖΕΤΟΔΑΝΤΙΠΑΛΩΝΚΑΙΠΑ . . .
ΕΝΘΕΝΕΗΝΠΡΑCΙΝΟΙCΕΡΙCΑCΠΕ
ΩCΒΕΝΕΤΟΥCΤΕΡΥΗΚΟΙΡΑΝΕΚΑ

infra alterum prosa oratione conceptum:

ΔΗΜΟCΠΡΑCΙΝΩΝ
ΑΓΕΤΑΙΟΥΚΑΓΕΤΑΙΟΥΜΕΛΕΙΜΟΙΔΟCΗΜΙΙΠΟΡΦΥΡΙΝ
ΙΝΟΥCΠΟΡΦΥΡΙΝ
CΤΕΡΥΕΝΕΙCΒΕΝΕΤΟΝΤΕΡΥΕΙΚΑΙΕΙCΠΡΑCΙΝΟΝ
ΕΙΔΑΥΤΟCΛΑΒΕΤΟΔΗΜΟCΙΟΝ

Totum epigramma video extare in Anth. Plan. V, 340 (Iac. Anth. gr. III p. 239 VI):

Ἄλλοις παυσαμένοισιν, ἀεθλεύοντι δὲ μούνῳ
Πορφυρίῳ βασιλεὺς τοῦτο δέδωκε γέρας.
πολλάκι νικήσας γὰρ ἑοὺς πόρεν ὠκέας ἵππους,
λάζετο δ' ἀντιπάλων καὶ πάλιν ἐστέφετο.
ἐνθεν ἔην Πρασίνοις ἔρις ἄσπετος, ἔνθεν ἀϋτή·
ὡς Βενέτους, τέρψῃ, κοίρανε, καὶ Πρασίνους.

Deinde:

Δῆμος Πρασίνων.

ἄγεται, οὐκ ἄγεται· οὐ μέλει μοι· δὸς ἡμῖ[ν]Πορφύριν, |
[Πρασ]ίνο[ι]ς Πορφύριν. |
ἐ]τερ[ψ]εν (emend. Buecheler) *εἰς Βένετον, τέρψει καὶ εἰς Πράσινον.* |
εἰ δ' αὐτὸς, λάβε τὸ δημόσιον.

Postulant Prasini sibi ut cedatur Porphyrius auriga: 'dele-

Digitized by Google

etavit ut Venetus, delectabit etiam ut Prasinus'. Imperatori facultatem fuisse aurigas alteri utri factioni tradendi apparet cum ex Malalae loco p. 395 ed. B: *καὶ ἐδόθη εἰς τὸ Πράσινον μέρος* tum ex epigr. A. Plan. V, 338 v. 7 sq.: *ὀλβίη ἡ Βενέτων πανελεύθερός ἐστι γενέθλη, — ἣ σε μέγας βασιλεὺς δῶρον ἔνευσεν ἔχειν.* cf. ibid. 377, 2. Perspicitur hinc, acerrima illa studia popularia in factionum tantummodo seu potius in colorum discrimine versari, certatorum autem quippe qui ex Caesarum arbitrio modo hinc modo illinc starent nullam fere fuisse auctoritatem; cf. Marquardt-Friedlaenderi Antiquit. rom. IV p. 515 adn. 3306. Itaque epigrammatis unde profecti sumus explicatio nullis iam scrupulis obnoxia est. Brunckii pessima coniectura *τέρψαις* pro *τέρψει* quod est in codice longe abicienda, recipienda vero grato animo lapidis scriptura *τέρψῃ*. Coniunctivus ex usu Byzantinorum pro futuro positus; de qua re Buecheler Lobeckium conferri iubet ad Phryn. p. 725. 'Hinc (i. e. tot victoriarum ergo) magna contentione effervescebant Prasini magnosque clamores efferebant: sicuti Venetos, Caesar, delectavit, delectabit etiam modo per te licuerit Prasinos'.

Sed fors an cetera epigrammati subscripta verba negotia nobis facessant. Ad verbum *ἄγεται* non video, quodnam suppleri possit subiectum praeter *τὸ ἱππικόν*. cf. Const. Porphyr. cerim. aul. Byzant. p. 339 D ed. B: *ἐὰν οὐκ ἀχθῇ τὸ ἱππικόν* et sic sescentiens. Iratos vide Prasinos. Non curamus, inquiunt, fiat certamen necne; Porphyrium nobis cedas, hoc tantum a te (scil. Caesare) petimus. — Certam quandam rem spectare videntur, quae mihi multis tentatis coniecturis iisdemque ocius reiectis non licuit indagare qualis fuerit.

Deinde verba *εἰ δ' αὐτὸς, λάβε τὸ δημόσιον*, de quorum ratione grammatica cf. ll. IX. 46: *εἰ δὲ καὶ αὐτοί, φευγόντων* et ibid. 262: *εἰ δέ, σὺ μέν μοι ἄκουσον*, dubitari potest ad Caesarem facta sint an ad Porphyrium. Prius hac re commendari videtur, quod sic quidem idem qui antea

Digitized by Google

compellatus esset. Tamen alterum demum verum est. Tertia persona *ἔτερψεν* transitus iam factus est ad ipsum Porphyrium. Omni dubitationi eximitur res collato ep. A. Plan. V 374:

Πέντε καὶ εἴκοσι μοῦνος ἀέθλια Κωνσταντῖνος
εἰς μίαν ἠριγένειαν ἑλὼν ἤμειψε μὲν ἵππους
ἀντιπάλοις· κείνους δὲ λαβὼν οὓς πρόσθεν ἐνίκα
τοῖς αὐτοῖς πάλιν εἶλε μίαν τε καὶ εἴκοσι νίκας.
πολλάκι δ' ἀμφοτέρων μερέων ἔρις ἔμπεσε δήμῳ
τίς μιν ἔχοι· κείνῳ δὲ δόσαν κρίσιν ἐξ δύο πέπλων.

Expressum est sine dubio ex Porphyriani tituli similitudine: Veneti Prasinique contendebant inter se, utri haberent Constantinum; illi autem ipsi optionem dederunt alterius utrius panni eligendi. Iam cum certo sciamus, *τὸ δημόσιον* ipsum pannum fuisse [1]), cuius ex colore diversarum factionum aurigae dignoscerentur, intelleges utram in partem verba interpretanda sint: 'si tibi ipsi, Porphyri, volenti est, accipe nostrum pannum', (nimirum impetrata Caesaris permissione). Articulus (*τὸ δημόσιον*) ne expectes *ἡμέτερον* pronomen plane sufficit. Prasini nullum nisi suum offerre poterant.

Iam vero quisnam epigramma eique quae subnexa sunt insculpenda curavit? Prasini populares, respondebis. Recte, neque ego aliter existimo. Sed nonne mirum Venetum Porphyrium — Venetus enim fuit, quem Prasini in suas partes trahere cupiebant — a Prasinis laudari et carmine honorari? Mirum certe est, neque in tanta veterum testimoniorum inopia expedire queo rem difficillimam nisi coniectura minime invicta. Narrat Const. Porph. l. s. s. p. 336 *περὶ διβερσίου* haece: *δείλης κελεύοντος τοῦ βασιλέως γενέσθαι τὸ διβέρσιον κατέρχεται ὁ ἀκτουάριος καὶ φέρει τοὺς δ' ἡνιόχους . . . . καὶ ἐπιτρέπει αὐτοῖς ποιῆσαι τὸ διβέρσιον καὶ ἀνταλλάξαι τοὺς ἵππους . . . ἀντιπαραδιδοῦσι τοὺς ἵππους*

1) cf. Reiskii adnot. ad Const. Porph. l. s. s. p. 344 sq.

Digitized by Google

καὶ τοὺς ὑπουργοῦντας· τὰ δὲ σκεύη οὐκ ἀντικαταλλάσσονται . . . φοροῦσι δὲ πανία σημεῖα, μηνύοντα ὁ τοῦ Βενέτου Πράσινον, ὁ τοῦ Πρασίνου Βένετον. Mutatis equis qui victoriam tulit, ad eam factionem sese conferebat, *ὅθεν εἰσὶν οἱ ἵπποι, καὶ μετὰ τὸ λαβεῖν τὰ ἔπαθλα στεφομένων αὐτῶν ἐκ τοῦ βασιλέως ἀπέρχονται εἰς τὸν αὑτῶν δῆμον.* Porphyrio igitur postquam Prasinis equis vicit, a Prasinis primae decernuntur. Non plane absonum videtur hinc conicere Prasinis statuam quoque cum epigrammate collocandam fuisse. Atque modo poetae fides sit historica, tale quid facile colligere possimus ex ep. Anth. Plan. V, 376:

Ἀμφοτέροις εἷς μοῦνος ἀριστεύσας παρὰ δήμοις
κῖδος ἀπ' ἀμφοτέρων ἔλλαχεν Οὐράνιος,
εἰσέτι διφρεύων. τὸ δέ οἱ γέρας ἦλυθε πρῶτον
ἐκ Πρασίνων, οἷς δὴ γείτονα χῶρον ἔχει.

Ad plenos enim nanciscendos honores necessaria tunc fuisse videtur victoria in diversio reportata. Hoc sumpto Uranius cum Prasinis equis vicisset a Prasinis praemia accepisse putandus est, *οἷς δὴ γείτονα χῶρον ἔχει*, h. e. in quorum porticu statua eius ab ipsis posita est. Sed melioribus libenter cedet mea coniectura.

Porphyrium multis hippodromi Cpolitani victoriis nobilem extollunt eundem triginta tria epigrammata ap. Iacobs. l. s. s. inde a pag. 238—246, quibus accedit Leontii ep. ibid. p. 76, XII. Ipsius hominis cum tenuissimam servarit memoriam unus Malalas p. 395 Bonn., epigrammata adeunda sunt, e quibus discamus, utrius factionis fuerit Porphyrius, quinam unde quotiens quando publici honores ei affluxerint. Nam etsi epidictica alia aperte sunt, alia esse certo demonstrari possunt, tamen veris falsis secretis singulorumque fide ad obrussam exacta pro se quodque haud spernenda nobis afferent momenta.

Ad ipsum anaglyphum spectare puto duo epp. XVII et XVIII, non distichis ut reliqua (praeter sex hexametros ep. XII), sed iambis Byzantinis conscripta. Quorum alterum

Digitized by Google

iuvenem (*ἴουλον ἀνθῶν πρῶτον*) simulque Venetum (*ἡνίας εἶλκε Βενέτου*) Porphyrium Calchantis filium praedicat. Deinde pergitur:

ἐπλήττομαι δὲ πῶς γράφει χεὶρ ἐμπνόους
τούτου τις ἵππους. καὶ γὰρ ἂν πλήξῃ, πάλιν
οἶμαι δραμεῖται [1]*), νῖκος· εὑρεῖν καὶ πάλιν.*

Prius et metri aequalitate et pari versuum numero alteri coniunctum eodem respicit: omnibus aurigis devictis Porphyrium iam in altum ascendisse ut cum ipso Phoebo decertaret [2]). Quo escendisse dicatur docebere collatis epp. XXXVI et XXXVII in Faustinum, LII et LIII in Constantinum, LX et LXI in Iulianum aurigas et ipsos, aliunde vero ignotos scriptis, quae accurate ex Porphyrianorum similitudine expressa sunt. Vide ep. XXXVI:

Σκόπει τὸ δρᾶμα μηχανουργοῦ τοῦ δόμου.
εἰ μὴ γὰρ ἐστέγαστο καρτερᾷ σκέπῃ,
πρὸς οὐρανοὺς ἂν ὦρτο Φαυστῖνος τρέχων,
ὡς ζῶν σὺν ἵπποις, τὸ κλέος πρὶν Πρασίνων.
ἀρὼν στέγος γάρ, καὶ φθανεῖ πρὸς αἰθέρα.

Quodnam fuerit aedificium, cuius de suggrundio sublime dependebat anaglyphum, opportune nobis suggerit scholium in uno cod. Plan. additum: *τούτων αἱ εἰκόνες ἦσαν γεγραμμέναι ἐν τῇ στέγῃ τοῦ βασιλικοῦ προκυπτίου.* Fidem facit Nicetas Choniates p. 156 ed. B. *τὸ κάθισμα βασιλικὸν* describens: *πύργον κατὰ τὸ Θέατρον, οὗ κάτωθεν μέν . . ., ἄνωθεν δὲ ἵπποι χαλκήλατοι πεπήγασι πίσυρες χρυσῷ ἀλληλιμμένοι τοὺς αὐχένας ὑπόγυροι, ἀντιβλέποντες ἀλλήλοις καὶ δρόμον καμπτῆρος πνέοντες διαπτῆναι τὸ στάδιον ἐπηγγέλλοντο,* quo opere quasi locus indicatur qui fuerit anaglyphis postero tempore in singulorum aurigarum honorem figendis.

---

1) *δραμοῦνται* ni fallor corrigendum. cf. Nicetae locum quem infra attuli.

2) Suet. Neronem (c. 56) videri ait Apollinem cantu, Solem aurigando aequiperare.

Digitized by Google

Porphyrium Venetum fuisse et supra vidimus et docemur ep. II, 3 sq.:

αὐτὰρ ὁ δεξιτεροῖσιν ἀνακτορέοιο θοώκου
ἡνία καὶ ζώνην ἱππότιν ἀνθέμενος
κεῖθεν ἐπισπέρχων ἐλάᾳ.

Recte Iacobs quamvis nullis additis argumentis adnotavit, Venetae factionis porticum a dextra parte throni imperatorii fuisse. Fuit sane; sed inde ex Theodosii demum Minoris temporibus, quem Malalas p. 317 Prasinis haec scripsisse ait: ἐγὼ ὡς τιμῶν ὑμᾶς εἰς τὰ ἀριστερὰ τοῦ καθίσματος ἔνθα θεωρῶ μετέστησα ὑμᾶς. Mirum quidem mansisse hunc ordinem proximis imperatoribus, acerrimis plerisque Venetorum fautoribus. Tamen mansisse certum est, quippe ne Iustinianus quidem Venetis sibi amicissimis locum honestiorem reddidit. Testis est Procopius qui I, p. 128 ed. D. quemadmodum sui temporis mos fuerit ordinem describit: ἐπειδὴ περὶ τὴν βενέτειον ἐγεγόνει στυάν, ᾗ τοῦ βασιλέως θρόνου ἐν δεξιᾷ ἔστιν κτἑ. Falsus igitur est Wilken (Abhdlgen d. berl. Acad. 1827 p. 238) Venetos ideo a dextra stetisse dicens, quia principes fuerint. Fieri tamen potest, ut quod Veneti dextro loco non iam migraverunt hic postmodo pro honestiore habitus sit.

Sed aliis quoque in rebus concinit ep. II cum anaglypho. Primum quod iuvenis dicitur Porphyrius v. 6 sqq.

πρῶτον ἴουλον ἔχων
εἰ δ' ἐτέων γέρας ἦλθε θοώτερον, ἀλλ' ἐπὶ νίκαις
ὄψιμον, ἀλλὰ μόλις, πολλὰ μετὰ στέφεα.

Notum est emeritis demum cum gladiatoribus tum aurigis honores publicos impertiri solitos esse. Itaque Porphyrius quod iusto maturius tamquam rude donatus est, insigni pondere profertur; cf. ep. VI, 1. XXVIII, 1: ἄλλοις μὲν γεράων πρόφασις χρόνος κτλ', quod epigramma non casu factum videtur ut ab eodem vocabulo ἄλλοις ordiatur, a quo genuinum. Adde epp. I, 3 et XI, 1. Eodem valere vidit

Digitized by Google

Iacobs VI, 1: *ἄλλοις παυσαμένοισιν, ἀεθλεύοντι δὲ μούνῳ*, quicum conveniunt II, 5 et VII, 1.

De eo quod appellabatur *διβέρσιον* certaminis genere supra monui. Ne huic quidem mutatis equis ministrisque deerat Porphyrius; cf. VI, 3 sq. Nec tacent imitatores; proxime ad genuinum accedit V, 3 sq.: *ἀμφοτέραις γὰρ ἀμειβομένοις ἐπὶ πώλοις — κυδιάει νίκαις, οἷς πόρεν, οἷς ἔλαβεν.* cf. XII, 4. VII, 5 sq. Argutius rem exponit X, 3. Hinc explicanda XI. 2: *πανιοδαποὺς ἀμφέθετο στεφάνους* et XII, 2. XXIII, 3. XXXIII, 3 coll. IV, 5. Errores quibus hinc implicari sese passi sunt eum poetae nonnulli tum ipse Iacobs mox tangam. Interim propositum persequor.

Ep. VI, 2: *βασιλεὺς τοῦτο δέδωκε γέρας*. Imperatorem victoribus coronam imponere solitum esse, Const. Porph. locus testatur; idem haud raro statuas vel simulacra erigenda curabat; cf. Io. Chrysost. psalm. III, v. V p. 1 ed. Bened. *νικηφόρους εἰκόνας καὶ στήλας ἐγείρουσιν ἄρχοντες ἡνιόχοις καὶ ἀθληταῖς καὶ τῷ ἐπιγράμματι ὡς στόματι κήρυκα τῆς νίκης τὴν ὕλην ἐργάζονται.*

Saepius tamen ex popularium auctoritate id factum videtur. Cf. cod. Theodos. l. XV, tit. VII, c. 12: 'si qua in publicis porticibus vel in his civitatum locis, in quibus nostrae solent imagines consecrari, pictura pantomimum veste humili et rugosis sinibus agitatorem (sc. collocarunt) — ilico revellatur'. Itaque insigni quodam honore affectus Porphyrius insigniter collaudatur IX, 2: *ἄνθετο νικητὴν κοίρανος Αὐσονίων* et I, 1: *ἄναξ καὶ δῆμος ἐγείρει.* XXXI, 3. XXXIII, 2.

Postremo ex ep. VI, 5: *ἔνθεν ἔην Πρασίνοις ἔρις ἄσπετος, ἔνθεν ἀϋτή* sua hausit poeta ep. VII, 3, quem etiam alias diligentem genuini tituli imitatorem deprendimus: *οἱ δ' ἕτεροί με — δίζοντ' αὐτις ἔχειν, νῖκος ἀπειπάμενοι*, ubi fugit me sententiae acumen, nisi revocata lectione vulgata *νῖκος*. Iacobs edidit *νεῖκος*.

Breviter enumerabo quae poetae non quidem ex ana-

Digitized by Google

glyphi titulo, sed unus ab altero mutuati sint. I, 5: *ἔπρεπε μὴν χρυσέῳ ἐν ἀγάλματι, μηδ' ἐνὶ χαλκῷ — τοῦτον ἑστάμεναι.* Dictata recinit XXVI, 1. *αἰδομένη χαλκῷ σε πόλις — γεραίρει. — ἤθελε γὰρ χρυσῷ ἀλλ' ἴδεν εἰς Νέμεσιν.* Similiter et sat lepide X, 5. Alii aurum non desiderantes aeneum simulacrum Porphyrio aptissimum censuere, velut XX, 5: *χάλκεος ἥρως* coll. IX, 1. Ut poetae *Μούσαις πεφιλημένοι* vel *Μουσάων θεράποντες* audiunt, ita Porphyrius *Νίκης* filius V, 1, ab Victoria amatus III, 2 coll. Leont. XII. Ut Iovem Phidias ita Porphyrium poetae ab eadem dea coronatum finxerunt IV, 1. XII, 2. XXX, 1. Similiter XXXII, 1. Idem fere alii effecerunt, dum propter Victoriae simulacrum Porphyrium collocatum esse canunt VII, 2. XIII, 1.

Denique si tanti est, cf. singula haece: IV, 5: *τί πλέον, ὅττι καὶ αὐτὸς ἐπευφήμησεν — ἀντιπάλων δῆμος* coll. XIX, 3. XXXIII, 1. — IV, 3: (*Νίκη*) *ἀριθμήσασα πολυστεφέας σέο μόχθους* coll. XXV, 3. Praeierat monente Iacobsio Martial. X, 53. — XXV, 4: *βαιὸν τοῦτο γέρας τοσσατίων καμάτων* coll. XXVII, 1.

Omnia quae percensuimus epigrammata aliquo certe necessitudinis vinculo coniuncta cum anaglyphi carmine Porphyrium Venetae factionis aurigam praedicant — nisi quod sunt, in quibus factionis omnino nulla fit mentio — omnia iuventutem aut equos mutatos aut adversariorum contentiones aut imperatorem honoris largitorem ostendunt. Apparet, opinor, haec omnia in uno eodemque Calchantiadae honore celebrando versari. Scio restare quasdam dubitatiunculas, quas tamen priusquam facili negotio solvam, alio properandum est. Videamus Porphyrium iuventute et veneto panno exutum ad Prasinos transfugam. Prasinus diserte vocatur epp. XIX. XX, inprimis XXII, quod historicam quandam fidem prae se fert, deinde XXVI. Omnes scrupulos eximit Malalas l. s. s. Nec vero tectius eidem poetae Porphyrium a Prasinis statua honoratum esse pro-

Digitized by Google

dunt; cf. XIX, 2 alia. Cum autem horum nemo iuvenem eum appellet, cumque etiam senis honores memorent epp. XV. XXIX sqq. — duplices praeterea honores ep. XXVIII, 4 — quamvis haec ipsa Prasinum Porphyrium non efferant, tamen quia casu hoc factum esse potest probabile videtur, ut a Venetis iuvenem ita senem a Prasinis suos nanctum esse honores. Quaeritur, num forte id quoque epigramma superet, quo statuae subsculpto Prasini suum popularem collaudaverint. Ac nullo quidem ut spero repugnante eorum numero, de quibus quaeri omnino potest, eximam ea quae factionem memorant nullam. Nam incredibile est, Prasinos suum tacuisse nomen cum eum honorarent quem olim adversariorum aurigam gravissimis suis cladibus experti erant. Restant carmina tria. Ep. XIX interrogandi formam ex ep. XI desumpsit indidemque (v. 3: *χάριν ἱπποσυνάων*) v. 4: *εἵνεκεν ἱππουσύνης*. Versus tertii verba *τί γὰρ πλέον*; *ὅττι γεραίρει* cet. paene inepte ex IV, 5 vel XXXIII, 1 huc translata sunt. Demonstrativum est ut quod maxime. Aliquanto etiam pertius de ep. XXVI iudicium est. Excusatur signum aeneum: *ἤθελε γὰρ χρυσῷ· ἀλλ' ἴδεν εἰς Νέμεσιν*. Quid demonstratione dignius! Praeterea non factio sed universa civitas (*πόλις*) statuam posuisse dicitur. Prasini satis habent victorem continuis laudibus tollere: *ἔμπνοά σοι ξύμπαντες ἀγάλματα*. De tribus unum reliquum est XX, sed ne hoc quidem genuinum. Porphyrii Calliopas agnomen constat ex epp. XXIX, XXX, 2. XXXII, 2, omnibus his quidem demonstrativis; ideoque solo agnomine compellatur. In ep. XX autem:

πολλάκι γὰρ δῆμος προφερέστερα ἔργα κομίζων
ἤνεσε Καλλιόπαν καὶ πάλι Πορφύριον.

Graeci vel eis hominibus qui in circo populo erant spectaculo praeter virtutem etiam corporis venustatem eximiae laudi vertebant. Neque ab hac re Porphyrius admiranti populo non commendabatur; cf. epp. VIII, 3. XXIV, 6. XXVIII, 6; qua ipsa ex causa ni fallor agnomen traxit.

Digitized by Google

Iam cum provecta demum aetate ab Prasinorum parte stetisse et vicisse eum cognoverimus, parum apte eo nomine praedicatur, quod tanta vi elatum iuveni tantummodo conveniebat.

Itaque genuina Prasinorum laudatio ad nos non pervenit. De statuae vero collocatione cave dubites. Ut enim Byzantinis aeneas statuas vel inferiorum ordinum hominibus prolixe largiendi mos erat (cf. U. Koehler Herm. IV p. 132 sq.) ita agitatorum quoque statuae inprimis memorantur. Cf. Cod. Theod. et Io Chrys. ll. s. ss. [1]). Mirum esset si Porphyrius celeberrimus auriga hoc honore caruisset. Iuvenis victoriae — id quod tamquam singulare celebratur — anaglypho illo memoriae proditae sunt, quo ornavit eum imperator. Seni iustus statuae honor obtigit, quam tamen non ipse Caesar posuit, sed Prasini Caesaris permissu; cf. XX, 2 et XXIX, 4. Quot annos egerit Porphyrius senex, docere videatur ep. XXIX, 3: *ἐξ ὧν ἐτέων ἀνίσας δεκάδας*. Sed verendum, ne annorum numerus pariter summatim confictus sit atque victoriarum in XXVIII, 5: *νίκης ἑκατοντάδας αὐχῶν πολλάς*. Sexagesimus enim annus limen est senectutis.

Genuinum autem epigramma statuae cur non tradiderit Planudes, causam repetes ex Nicetae Chon. verbis, qui iu commentatione de statuis Cpolitanis a. 1204 a Francis conflatis etiam aurigarum signa in hippodromo constituta enumerat c. 10 (ed. Wilken Gesch. d. Kreuzzüge vol. V append. II p. 26): *μετὰ δὲ τὸ εἴκασμα τοῦτο ἄγχιστα τοῦ τῶν τετρώρων ἑώου καμπτῆρος, ὃς ἐπεκέκλητο τοῦ Ῥουσίου, ἁρματηλάται ἄνδρες ἀνεστήλωντο, τῆς διφρευτικῆς προγράμ-*

1) Ceterum memoratu dignum, quod Chrysostomus duo signorum genera novit: *νικηφόρους εἰκόνας* et *στήλας*. Fortasse ipsa ea anaglypha intellegi voluit, quibus *τὸ κάθισμα βασιλικὸν* ornatum fuit. Porphyrius enim cum acclamante populo coronam manu teneat, *εἰκὼν* optime *νικηφόρος* praedicari potest.

Digitized by Google

ματα δεξιότητος, μόνον οὐχὶ διατρυσίως τῇ διαθέσει τῶν χειρῶν τοῖς διφρηλάταις παρεγγυώμενοι, ὡς χρὴ προσπελῶντας τῇ νύσσῃ μὴ ἐφεῖναι τὰ χαλινά κτλ'.

Iam vero cum nemo si quidem meae fidem habuit disputationi plus semel Venetum honoratum esse Porphyrium credat, postquam aeneum signum a Prasinis ei obvenisse demonstravi, non mirum videbitur, tot aenea simulacra in eis quoque epigrammatis reperiri, quae sive recta sive per ambages ex ep. VI fluxerunt. Poetae nempe a Porphyrii aetate longius remoti dum canunt virum fortissimum rerum veritatem non ita subtiliter disquisiverunt, ut vel minutissima ad historiae fidem exigerent, sed summa rerum comprehensa ceteroqui usui consuetudinique verba accommodaverunt. Ex eadem incuria alterius erroris origo patescit. Vidimus Porphyrium saepius adversariorum equis suo vehiculo iunctis certasse ideoque *παντοδαποὺς στεφάνους* sive *ξεῖνον πρεσβήϊον* (XXIII, 5) conciliasse sibi dictum esse. Et hoc quidem recte. Neglegentius vero poeta ep. XXIII, 6 fingit communi utriusque factionis consensu statuam collocatam esse, quo in tantis factionum simultatibus falsius cogitari nihil potest. Aliter peccatum est in ep. XV, quod qui scripsit duplicem honorem fando acceptum mirifice pervertit. Porphyrium a Venetis defecisse nescit, a quibus et iuvenem et senem ornatum putat; ut vero adaugeret honorem alterum inepte priorem statuam aeneam posteriorem argento inductam fecit. Confunduntur duo honores confusique in solos Venetos transferuntur in ep. XXX. In partem vero erroris traxit proximi carminis poetam non minus de iterato a Venetis honore cogitantem [1]). Omnia denique turbavit et miscuit ep. XXXIII.

Neglexi omnino epp. VIII. XIII. XIV. XXIV. XXV

1) Non quidem diserte Venetos nominat; sed illud *δῆμος ἐλεύθερος* (v. 3) tam accurate ex superioris verbis *ἐλευθερόπως Ἑνετῶν δῆμος* expressum est, ut dubitari nequeat.

Digitized by Google

omni ex parte demonstrativa, unde ad ipsius Porphyrii fortunam casusque cognoscendos nihil lucri eveniat. Ceterum praeter ea quae epigrammata ministraverunt perpauca de eo comperta habemus quod in homine tam ignobilis ortus vix mirere. Libyam patriam testantur epp. X, 1 et XI, 2. A puero igitur assuefieri potuit praestantissimis equis tractandis. Cf. Veget. art. veterinar. IV, 6: 'quamvis Africa Hispani sanguinis velocissimos praestare consueverit.' Pluscula Malalas tradidit, qui quae p. 395 sq. de Calliopa quodam auriga narravit, dubium esse nequit quin de ipso nostro Porphyrio accipienda sint: *ἐν δὲ τῷ αὐτῷ χρόνῳ τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἐπὶ τῆς ὑπατείας τοῦ αὐτοῦ βασιλέως Ἀναστασίου ὡς τὸ τρίτον κατῆλθεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ Καλλιόπας τις ἡνίοχος ἀπὸ φακτιοναρίων Κωνσταντινουπόλεως· καὶ ἐδόθη εἰς τὸ Πράσινον μέρος Ἀντιοχείας ἐπὶ Βασιλείου κόμητος Λιβεσινοῦ* ('forte *Ἐβεσσηνοῦ*.' Chilmead) *καὶ παρέλαβε τὸν σταῦλον τοῦ Πρασίνου μέρους λιπόμενον καὶ ἐνίκησε κατὰ κράτος*. Quae sequuntur brevi narratione constringam. Paullo post (*μετ' ὀλίγον καιρόν*) cum Antiochiae ludi Olympii agerentur magna hominum multitudo duce Calliopa circensibus peractis Iudaeorum synagogam adorti incendunt diripiuntque et *τὸν τίμιον σταῦρον* erigunt. Rebellantibus Anastasius Procopium Orientis comitem immittit, qui a Veneta factione adiutus proelio vincitur a Calliopa Prasinorum duce. Procopio fugato alter demum Irenaeus comes seditionem cohibuit. Anastasius Caesar tertium consul fuit a. 507. Eiusdem anni mense Iulio quod seditio orta esse narratur, manifestus error est. Olympia enim quae a Pisatibus Antiochenses in suam urbem a. 44 imperante Claudio traduxere quinto quoque anno celebrabantur. Aliquantum temporis intermissa (Malal. p. 249) restituta sunt a. 260 epochae Antiochensis h. e. a. 212, cf. Clinton F. R. s. a. Inde cum a. 507 calculis subductis ludis vacaret certe apud Malalam erratum est probabiliterque a Clintone coniectum, non a. 507 sed a. 508

Digitized by Google

tumultum circensem exarsisse. Igitur quaenam causa fuerit Porphyrio relicta Cpoli Antiochiae petendae quaeritur. Certi quidem nihil datur, sed coniecturam tentare liceat. Anastasium scimus nec Venetorum nec Prasinorum fuisse amantem, quippe qui crebra seditione urbem inquietarent. Prasinorum rebellionem (a. 498 cf. Chron. Pasch. p. 329) tradit Malal. p. 394. Coniunctam autem utriusque factionis seditionem (Cedren. p. 627. Theoph. p. 227) anno 507 tribuit Marcellini Chron.: 'Anastasio Aug. III cos. Seditio popularis in circo facta est; miles et armatus obstitit' [1]). Anastasii filium de pelice susceptum interfectum esse referunt; quam ob rem imperatorem ira incensum de multis supplicium sumpsisse. Addit Theophanes: *καὶ ἄλλους ἐξορίαις παρέπεμψεν.* In his ego suspicor Porphyrium fuisse, qui ipse tumultuando certe non abstinuit. Fortasse egregia nobilissimi aurigae gloria commotus fuit Anastasius, ut exilii veniam ei permitteret. Nam cum vicesimum nondum annum agens [2]) anaglypho honoratus sit, ante a. 508 iuveniles suos honores collegerit. Inde ab hoc tempore constantine animo apud Prasinos permanserit an unquam Venetis se reddiderit, decerni nequit. Quippe fuisse scimus qui saepius mutarent factiones; cf. Gruter. 340, 1: 'hic in IIII stabul. agitavit.' Byzantium quando redierit, fors sit an possit computari. Duodecimo anno post Iudaicam synagogam incensam seditio Venetorum Antiochiae suborta inde per totum imperium gliscebat, cf. Theoph. p. 256; eoque licentiae atque adeo potentiae processerunt rebelles, ut quinque annos praevalerent *μὴ τολμώντων τῶν*

1) Duarum praeterea seditionum circensium, alterius a. 491 (cf. Marcell. Chron. a. 491), alterius a. 514 memoria accessit ex Io. Antiocheni fragmentis nuperrime editis ap. Muell. F. H. G. vol. V p. 29 et p. 31.

2) Cf. carm. paneg. ad Pison. v. 248 sq.: quamvis nunc iuvenile decus mihi pingere malas — coeperit et nondum vicesima venerit aestas.

Digitized by Google

ἀρχόντων ἐκδίκησιν τῶν φόνων ποιῆσαι. Graviter Iustinus in Antiochiam utpote totius mali officinam animadvertit. Nam pro certo mihi est, non aliam fuisse causam cur ludos Olympios Antiochenses eodem anno 520 prohibuisse dicatur ab Malala p. 417. Vetitis igitur Olympiis, quae in tanto posteriorum temporum aurigandi furore equestribus ante omnia certaminibus viguisse par est, Porphyrium acerrimum agitatorem conicio Antiochia profugum Byzantium rediisse, unde Anastasio mortuo non iam arceretur.

Longe incertiores sunt calculi computanti, a quonam Caesare Porphyrius iuvenis ornatus fuerit praemio. Non vulgaris fuit ille anaglyphi honor, ut diximus, nec facile cuipiam explicari videatur nisi ex insigni quodam Caesaris erga aurigam favore. Fuit autem Anastasius factionum magis osor quam fautor, Zeno Prasinos fovebat, de Leonis erga circenses voluntate nihil constat, Marcianus vero *ἔχαρε τῷ Βενέτῳ μέρει.* (Mal. p. 368.) Mortuus est hic imperator a. 457. Fingamus a. 456 Porphyrium Venetum a Marciano honoratum: natus esset ante a. 440, anno autem 520, quo Antiochiam reliquisse eum suspicabar, plus octoginta habuisset annos. Tantopere vero senem etiam in arenam descendisse verisimile? At quid, si omnino non rediit Cpolin? si omnes suas victorias senex Antiochiae reportavit? Esto: sed si extremam senectutem in provincia degisset, num tu putas futurum fuisse, ut nomen resque eius gestae tanta laudum nube involverentur? Ut tamen fuerit: num septuagenarium putabimus Antiochenses contra Judaeos excitasse? Immo: coactus assiduis popularium precibus quamvis invitus nescio quis imperator (an ipse Anastasius? ca. a. 496?) videtur iuveni honores suos decrevisse. Postea vir factus ut seditiosus in exilium missus (a. 507?) Antiochiae Prasinis interfuit. Deinde quadragenarius fere Byzantium redux (a. 520?) apud Prasinos stipendia emeruit. Eodem tempore bellis interfuit, quae Caesar contra tyrannos gessit; in his quantam virtutis laudem

Digitized by Google

in se receperit, cantant epp. XVI. XXI. XXII; praedicatur *ὀλεσσιτύραννος* XXI, 3. Quodsi ep. XXII, 8 propter hoc ipsum a Caesare statua ornatus dicitur, liberalem poetae animum agnoscimus. De certo quodam bello coniecturam facere non ausim; tanta est rebellantium praefectorum tunc temporis multitudo, ut semper qui hoc quaesierit in tenebris versaturus sit. cf. Theoph. p. 216: *τούτῳ τῷ ἔτει Ἰωάννης ὁ Σκύθης πολιορκῶν παρέλαβεν τόν τε Λογγῖνον τὸν ἀπὸ μαγίστρων καὶ Λογγῖνον τὸν Σεληνούντιον καὶ Ἀθηνόδωρον καὶ τοὺς λοιποὺς τυράννους.* Tantum scimus, eum imperatorem, cuius arma tulit Porphyrius aut Prasinorum fuisse fautorem aut Venetis certe inimicum; cf. ep. XXII, 3. Fortasse Iustinus fuit, quem memineris propter Venetorum rebellionem Olympia Antiochensia sustulisse a. 520. Etenim huic quoque tyranni negotia facessebant; cf. Cedren. p. 637 fin.: *Ἀμάντιον δὲ τὸν πραιπόσιτον μετὰ καὶ ἄλλων τυραννίδα μελετησάντων ἀνεῖλεν.*

III.

Postremo capite hiulcis quibusdam titulis supplementa admovebo. Et primum quidem epigramma ampliorem flagitat expositionem; reliqua subiunctis notulis emendatiora si di favent apponam. Hac enim ipsa ratione nisi vires deficiant epigraphicae olim condendae anthologiae quod suscepi consilium persequi in animo est.

1.

Lernae inventum lapidem edid. Conze et Michaelis in Annal. Instit. 1861 p. 20 sq., in quo haece carminis iambici reliquiae:

Digitized by Google

ΒΑΚΧΩΝ · ΒΑΚΧΟΝΚΑΙΠΡΟΣΥΜΝΑΙ\
ΘΕΩΙ
ΕΤΑΣΑΝΤΟΔΗΟΥΣΕΝΚΑΤΗΡΕΦΓ...
ΔΟΜΩ....
ΤΟΝΑΡΧΕΛ ...ΟΥΠΑ..ΔΑΟΜΩΝ·
Μ...ι..ΠΑΤ.....
ΤΑΥΤΩΔ . ΨΕΞΕΙ ...ΕΝΧΡΟΝΩΔΙ..
ΜΑΙΚΛΥ...ΩΙ
ΒΑΚΧΟΝΛ..ΛΙΩ..ΗΣΔΕΠΥΡ... ΦΣ
ΟΙ..ΟΣΛ.....
ΦΟΙΒΩΛΥΚΕΙ ..... Ο.. ΝΕΚΑΑΝΤΙΤΩΝ
^.....ΟΙ
.....ΜΑΙ ΞΙΜΕΚΑΙΠΡΟΕΥ^
ΛΙΟΣΛΕ^Ι
Α.....ΤΕΦΟΙΒΟΥΤ....ΥΡΦΟΡΟΙΔ
ΟΝΟ

Non quo omnes quae hiant lacunas resarcire omniave quae latent menda tollere possem, totum tituli apographum exbibui, sed ut si cui sagaciori feliciorive hunc libellum fors obtulisset ei commodior illis frustulis opitulandi copia parata esset. Interim tamen quae habui adnotanda, promenda putaveram.

Vv. 1—2 certis supplementis restituerunt editores:

Βάκχῳ με Βάκχον καὶ Προσυμναίᾳ Θεῷ
στάσαντο Δηοῦς ἐν κατηρεφεῖ δόμῳ,
τὸν Ἀρχελάου παῖδα ὁμώνυμον πατρί.

Lacunarum quae iustum modum plerumque longe excedunt nemo facile rationes expediet, nisi qui suis oculis lapidem usurpaverit. — Sub Bacchi imagine Archelaus Archelai filius Baccho et Cereri in ipsius Cereris fano dicatur. Res illustratur coll. epigr. ap. Welck. Syll. 66 adhibita egregia Rossii interpretatione (Archaeol. Aufs. I p. 51 adnot.). Pros-

Digitized by Google

hymnaea dea Ceres est, quae Lernaeorum sacrorum principatum tenet; cf. Paus. II, 37, 2: *ἐντὸς δὲ τοῦ ἄλσους ἀγάλματα ἔστι μὲν Δήμητρος Προσύμνης, ἔστι δὲ Διονύσου.* coll. ibid. 36, 7.

Impeditior altera tituli pars est. Vides dativos *Λ[υ]αίῳ, [γ]ῆς δὲ πυρφό[ρ]οι[ς θεαῖς], Φοίβῳ Λυκει[ῳ]* v. 5 sq., quos editores latere non siverunt. Est igitur altera dedicatio; res autem quae dicatur eadem est, cf. v. 4 ΥΕ et v. 5 ΒΑΚΧΟΝ.

V. 4 exordium hoc fuisse puto:

ταὐτῷ δ[έ] με, ξεῖ[νε], [1]) *ἐν χρόνῳ . . . . .*

reliquum vocabulum mendi aliquid traxit, cuius corrigendi ansam ministrat verborum collocatio v. 1. Religioni enim potius quam casui tribuerim quod *Βάκχῳ με Βάκχον* poeta scripsit, non contra. Eundem ordinem etiam v. 4 servatum esse probabile duco. Et favent quidem litterarum vestigia. Nam quae leguntur ΚΛΥ . . . ΩΙ aperte dativum indicant, qui cum ineptum sit substantivum *χρόνῳ* epitheto onerare, ad *Λυαίῳ* trahendus est. Neque vero invenio quid fuerit. Cave enim conicias quod ipse pluribus de causis respui *ὀνομακλύτῳ.*

Bacchi numinumque Lernaeorum communioni quam res fert mirus accedit quartus Apollo, nullo omnino naturali quidem vinculo cum istorum mysteriis coniunctus. Cur accesserit nescire me fateor. Scirem si qualis fuisset versus sextus divinare possem.

Tandem vero v. 7 cum nominativi compareant, quinam Archelaum sacraverint comperiemus; simul autem verbum reciperandum est quod collocandi similemve notionem habeat. Satis tuto ni fallor mecum scribes: . . . *καὶ προ[ς]ύ-[μνα]ιος λε[ώς*, nec spero quemquam offensum iri adie-

1) Ne eo offendare quod in titulo dedicatorio *ξένος* compellatur cf. Anth. Pal. VI. 289, 2 et tit. Sicul. in Mus. Rhen. XXI, 140, 2: *βωμὸν Βαρχαῖος Καρνεάδης ἔθετο — Εὐκρίτου υἱὸς ξεῖνε ὁ νεωκόρος κτλ'.*

Digitized by Google

ctivo aliunde quidem ignoto, recte tamen ab sacro deae nomine formato reique prorsus accommodato; cf. *ὁ κραιπαλόκωμος — λαῶν ὄχλος* Ran. 217. Verbum autem quod desideras proxime praecedit. A quo tamen cum aperte non initium ceperit senarius cumque maximam versiculi partem iam expleverimus, quam brevissimum esse debet. Itaque suspicor: *τίθει με*. Praesens habes A. Pal. VI, 198, 5: *τίθει δέ μιν*, aoristum vero (cf. v. 2: *στάσαντο*) eiusdem epigr. v. 3: *Φοίβῳ θῆκε Λύκων*. Quamquam eo minus certi quicquam praeceperim quod accusativus *με* ex v. 4 repetitus non omni caret offensione. Superest ut alteram quaeramus personam quae copula *καὶ* verbis *προζύμναιος λεώς* iungatur. Lacunas vidimus saepius perverse indicatas: magna est suspicio, ne syllabam MAI quidem v. 7 suum locum obtinere. Conieci igitur reponendum esse MATHP; quam doricam formam ne praepropere quis condemnet, de diversarum in titulis dialectorum confusione ac permixtione pauca monebo. In Halicarnassensibus Cnidiisque doricas ionicasque formas iuxta reperiri nihil mirum est. Non raro vero de industria et arte quadam utriusque dialecti vestigia impressa sunt. Flebile habes Atthidis epitaphium a Theo marito positum Cnidiense ap. Newton Discoveries cet. v. I. tab. 94, n. 54, omni et verborum et compositionis arte absolutum. Quattuor sunt strophae, prima et tertia binis, secunda et quarta ternis distichis perscripta. Utraque binaria stropha ionica, ternaria utraque dorica utitur dialecto. Simile quid in taurobolicae arae titulis quos statim exhibebo factum videtur. Hic enim v. 7 *Ἥρης*, v. 10 *Ἥρας* legitur, v. 9 dorice *Βασιλᾶν*. Archelaus qui posuit aram Rheae Atheniensis sacerdos, Lernaeorum sacrorum socius, Iunonis Argivae cleduchus fuit; itaque solemnem *Βασιλᾶν* formam mutari nefas duxit. *Ἥρης* autem in priore titulo scripsit, ubi de semet magis quam de sacris loquitur; *Ἥρας* vero in posteriore, ubi cum sancto quodam orationis colore ipsa sacra celebrat. Eadem de causa v. 10 *Ῥέῃ*, v. 11 *τελετῆς*, v. 12 *τελειομένης*

Digitized by Google

dicit. — Lusit fortasse poeta epitymbii Erythraei dorici (Waddington in Le Bas. Inscr. part. V, 364 n. 1556 a) qui quasi matris memoria animus mollescat v. 3 *μήτηρ δ' ἡ πανόδυρτος — αἰάζει* scripsit. Saepius vero erraverunt lapidarii, veluti in eiusdem quem memoravi Cnidiensis tituli v. 6 *εὐφροσύνης* et v. 7 *πουλυγόητε* lapicidae dialecto ionicae assueto exciderunt. Haud secus in eo quod tractamus epigrammate sculptorem Doriensem puto *στάσαντο* et *μάτηρ* formas invito poeta intulisse.

Ad ultimum versum delati sumus, quem restituendum nunc quidem despero. Phoebi memoria quia iteratur, elegans est Buecheleri coniectura *α[ὐτοῦ] τε Φοίβου*, qui genetivus suspensus fortasse fuit e postremo versus vocabulo (*δόμον? θρόνον?*). Sed quae intercedunt non expedio. Nam quae tentavi *τόνδε πυρφόρον δόμον* vel *τόνδε πυρφόρου δόμον*, horum neutrum verum est.

Itaque ut paucis complectar, quae ex titulo redundare videntur: duo Archelai signa Bacchi specie inducta uno tempore consecrantur, alterum in Cereris fano Cereri simulque Baccho, alterum Baccho unaque numinibus Lernaeis ac Phoebo Lyceo in templo Apollini tunc primum dedicato. Priorem autem statuam largiti esse videntur, qui — ut et ipse Archelaus — Lernaeis mysteriis initiati erant (*πρωσύμναιος λεώς*), alteram fortasse mater cum mystis.

Nec tamen negaverim, sagacissimam Buecheleri explicationem aliquanto diversam habere quo commendetur: Archelaum sub Bacchi imagine a mystis Eleusiniis in templo deae Eleusiniae, quae sancto nomine *Δηώ* (v. 2) audit, consecratum fuisse Cereri Lernaeae (v. 1—3). Cuius muneris ut gratias referrent Lernaeos mystas eundem Archelaum apud se numinibus Eleusiniis sacrum posuisse. Confert tit. ap. Orellium 2361: 'filiae — sacratae apud Eleusinam deo Baccho Cereri et Corae, sacratae apud Laernam deo Libero et Cereri et Corae, sacratae apud Aegynam deabus Taurobolitae Isiacae Hierophantriae deae Hecatae' (tit. est medii

Digitized by Google

saeculi quarti.) — Certe Buechelerum secuti aliquanto corruptiorem quam sumpsi titulum putabimus. Nam nunc quidem neque Eleusinis nec Lernae ullum est vestigium. Tamen non Lernaeis tantum sacris initiatum fuisse Archelaum perquam veri simile est, si quidem sacra ministeria saepe a patre ad filium transiisse scimus. Archelai autem patris pleniorem eamque certiorem memoriam contigit opinor excitare.

Celeberrimae enim arae quae Taurobolica vocatur (Conze in Arch. Ztg. 1863 p. 75 sqq. coll. Keil. in Philol. vol. suppl. II p. 588 sqq.) duo epigrammata incisa sunt, quae integra huc transcribere placet.

Ὁ προγόνοις ἐφάμιλλος, ὁ τὴν μεγάλην πλέον αὔξων
Ἀρχέλεως γενεὴν πράξεσι ταῖς ἰδίαις,
ἀντίδοσιν τελετῆς τῆς ταυροβόλου χάριν ἔγνω
βωμὸν ἀναστήσας Ἄττεω ἠδὲ Ῥέης.
οὗτος Κεκροπίην αὐχεῖ πόλιν, οὗτος ἐν Ἄργει
ναιετάει βίοτον μυστικὸν εὖ διάγων.
αὐτόθι γὰρ κλειδοῦχος ἔφυ Βασιλῇδος Ἥρης,
ἐν Λέρνῃ δ' ἔλαχεν μυστιπόλους δαΐδας.

Λαδοῦχός με Κόρις, Βασιλᾶν, Διός, ἱερὰ σηκῶν
Ἥρας κλεῖθρα φέρων βωμὸν ἔθηκε Ῥέῃ,
Ἀρχέλεως τελετῆς συνθήματα κρυπτὰ χαράξας
ταυροβόλου πρῶτον δεῦρο τελειομένης.

Intellegi potest, hominem tanta nobilitate tamque gravibus officiis insignem non exigua auctoritate fuisse apud aequales superstitiosissimos. Altero enim vel adeo tertio p. Chr. n. saeculo non superius esse monumentum docet litteraturae genus.

Notum est in eis gentibus, penes quas sacerdotia sunt antiquitus recepta, saepissime simul cum sacrorum ministerio nomina eadem per longa temporum spatia tamquam per manus tradi solere. Cuius rei unum de coniectura afferam exemplum. Tit. ap. Pittak. Ephem. arch. 4103 Bataces Batacis filius Piraeensis Argaeum medicum statua

Digitized by Google

honorat. Habes Batacen quendam Pessinuntium magnae matris sacerdotem Plut. Mar. c. XVII, qui Mario contra Teutones profecturo victoriam vaticinatur. In Piraeo autem ex titulis constat magnae matris templum fuisse; cf. Kumanud. in Philist. vol. I p. 327 sq. adn. et Keil. in Philol. XXIII p. 607. Inde Batacis olim maiores puto Pessinunte Athenas demigrasse ad deae sacra colenda.

Adde hoc: Archelaus quod Argis habitare dicitur poetam agnoscis. Pergit enim: *βιοτὸν μυστικὸν εἰ διάγων* (cf. v. 8), unde luce clarius est, non Argis sed Lernae in urbe domicilium eum posuisse. Hinc nonnihil momenti aspergitur meae coniecturae Archelaum Bacchium filium esse Archelai Rheae sacerdotis; cf. v. 3 *τὸν Ἀρχελάου παῖδα ὁμώνυμον πατρί*. Quodsi et carminum indoles quantum dispici potest et litterarum formae plane diversae sunt, hoc neminem offendet cogitantem, patris epigramma a poeta Atheniensi sat scite compositum et ab artifice Atheniensi diligentissime sculptum, filii vero Lernae in oppido lapidi incusum esse. Litterarum autem genera quam diversa posteriore potissimum aetate lapidibus propagata sint, non est quod moneam.

Ceterum Archelaorum proavum videatur sibi quispiam deprendisse Archelaum Archelai notissimi Mithradatei ducis filium, quem cum pater fugisset Pompeius Comanae Pontica in urbe sacerdotem constituit. At in tanta huius nominis crebritate quattuor quos nominavi Archelaos unius gentis prolem non certo dixerim.

2.

Basis marmoreae fragmentum in acropolis Atheniensis parte orientali repertum haud procul a Philemonis comici statua. Epigramma Postolakkas communicavit cum Conzio, qui edendum curavit in Arch. Ztg. 1864 p. 235. Litterarum formas Euclide antiquiores accuratius tradidit editor in Bullet. arch. 1864 p. 88.

Digitized by Google

Πότνι', ἀπαρχὴν τήνδε Μένανδρο[ς . . . . . .
εὐχωλὴν τελέσας σοὶ χάριν ἀντ[ιδιδούς
Αἰγιλιεὺς υἱὸς Δημητρίου· ὧ[ν ἕνεκ' αἰεί
σῷζε, Διὸς θύγατερ, τόνδε χαρ[ιζομένη.

Litterae: ΛΙΓΣ, Ε pro Η, Ο pro Ω et ΟΥ, spiritus nota Η. — Vetant litterae elegantes quas testatur Postolakkas et versus cultissimi, ne in pauperiorum civium numero habeamus Menandrum; suadet vero marmor hymettium ne inter primores eum referamus. — v. 1 fin. indicatum fuisse videtur, cuius rei ex voto Minervae gratias rettulisset. Suspicor: *Μένανδρος θῆκε σαωθείς.* cf. tit. in Mus. Rh. I, p. 210 n. 19. cf. A. Pal. VI, 216: *Σῶσος καὶ Σωσὼ Σωτείρῃ τόνδ' ἀνέθηκαν· Σῶσος μὲν σωθείς, Σωσὼ δ' ὅτι Σῶσος ἐσώθη.* — vv. 2 et 4 quae supplevi certa sunt; versum tertium probabiliter saltem refeci. Pluralem *ὧν* ne vituperes cf. tit. Tauromen. in Mus. Rh. XXI, p. 140: *βωμὸν — Καρνεάθης ἔθετο . . . . ἀνθ' ὧν — θυμαρὴν βιοτᾶς ὄλβον ἔχοιεν ἀεί.* — v. 4 ΣΟΙΞΕ editores pro *σοὶ δέ* scriptum putaverunt.

3.

'Scriptum quattuor versibus in stela marmorea prope Thessalonicam inventa et in Museum Parisiense translata sub imagine mirmillonis [immo retiarii], altera manu fuscina et pugione armati'. Lemma est Welckeri qui edidit in Mus. Rh. VII, p. 619 ex Revue archéol. 1849 p. 198—200 (ed. Longpérier).

Εὐφράτης παῖς ἦλθον, αἴθ' ἑ πλοκαμεῖδες ἐπῆσαν
ἑξάκι νικήσας πατρίδ' ἐπη[υ]κλέϊσα

v. 1. ΑΙΘΕ. Pessima Longperieri correctura *αἱ δὲ πλοκαμεῖδες ἔπεισαν* Welckerum in miram interpretationis viam abripuit. Melius quid opus esset sensit Gerhard, qui in Arch. Ztg. 1849 p. 102 *ὅθ' αἱ πλ. ἐπῆσαν* proposuit. Nihil mutandum: *αἴθ' ἑ* ex prava pronuntiandi consuetudine pro

Digitized by Google

ἔθ' αἱ scriptum est. Cf. C. I. 3440, 5: ἑ δέ τε μάμμαι et 3627, 8: μαι ἔβαλον pro μ' ἔβαλον. Venisse se ait Euphrates cum cincinnorum flos adhuc vigeret. Conferendum Buecheler mihi indicavit locum Petronii c. 57, ubi Trimalchionis collibertus: 'et puer, inquit, capillatus in hanc coloniam veni: adhuc basilica non erat facta'. Adde ibid. c. 63 init. et Plaut. Pers. 229 sq.: 'temperi hanc vigilare oportet formulam atque aetatulam — ne ubi vorsicapillus fias foede semper servias'. — v. 2 ΕΠΗΛΚΛΕΙΣΑ unde non sufficit quod ediderunt ἐπικλεΐσα. cf. tit. Euboens. in Arch. Ztg. 1856 p. 270, v. 1: πολλά σ' ἔπαινος ἐπευκλεΐσεν νεότητος ἐν ἀκμῇ.

4.

Repertus cippus sepulcralis in vico Skinudi in media Imbro insula sito, nunc super porta ecclesiae St. Marinae muro infixus. Ed. Conze Reise auf den Inseln des thrac. Meeres p. 97 sq.

Τέσσαρα τέκνα λιπὼ[ν] | Νεικήφορος ἐνθάδε | κεῖμαι |
ἐν χρηστῇς ἀλόχου πνεῦ[μα] | λιπὼν παλάμαις. |
εὐδαίμω[ν] Ἑλένη παιδὸς | μόρον οὐκ ἐσιδοῦσα, |
ἀλλ' ὁ πατὴρ ἔτλη Λού[κι]ο[ς] | οὐχ ὅσια· |
εἶδε γὰρ ὀφθαλμοῖς τὸ[ν] ἐμὸν νέκυν | , εἶδε δὲ τέκνον
πώ[μα]τι λ[α]ϊνέω σῶ[μ]α κ[ατ]ι[σχό]μενον.

Quattuordecim versiculis decurrit epigramma, quorum extrema interdum non integra sunt litteris nimirum evanidis. Enumerabo quae editor emendanda reliquit.

v. 4. ΛΟΥΝΟΙ. Litteram Ν incertam esse testatur Conze. Patre nominato opus est.

v. 5 sq. ΕΙΔΕΔΕΤΕΚΝΟΥΠΩ Ο . . .
ΤΙΛΔΙΝΕΩ ϹΩ ΚΑΚΩ ΙΕ . . . .
ΜΕΝΟΝ

In his nec litteram Ο post ΠΩ syllabam, nec proximi versus sex postremas pro certis haberi voluit editor. Vitiose

Digitized by Google

qui censor extitit libri Conziani in Zarncke Litter. Centrbl. 1860 n. 25, Bursian:

εἰδε γὰρ ὀφθαλμοῖς τὸν ἐμὸν νέκυν, εἰδε δὲ τέκνον
πώματι λαϊνέῳ τῷ κακῷ ἐσσάμενον.

Ad v. 3 sq. cf. locum simillimum in epigr. ap. Welckerum Syll. 45: *εὐγενέτης δέ — Θεύδοτος οὐ στυγερὸν πένθος ἐφεῖδε πατήρ· — μήτηρ θ' ἡ δύστηνος ὀδύρεται κτλ.*

Digitized by Google

Georg Kaibel de vita sua.

Natus sum Lubecae a. d. III Cal. Nov. a. h. s. IL patre Friderico Helena matre. Puerili institutione imbutus gymnasium patriae urbis adii quod etiamtum Breieri regimine florebat. Tunc temporis a quibus docebar, ex his August Baumeister non uno nomine mihi celebrandus est, utpote cum cetera optime de me meritus tum philologicorum studiorum potissimus mihi auctor. Verno a. LXVIII tempore Gottingensem subii disciplinam annoque post Bonnensem celebratissimam, qua ad hunc usque diem frui licuit. Docuerunt me Benfey Brugsch Buecheler Curtius Hiller Jahn Leskien de Leutsch Sauppe Vsener philologi, Dilthey Kekulé archaeologi, Schaefer Springer Varrentrapp historici, Meyer philosophus, Hanstein botanicus, theologus Langen. Inter philologici seminarii regii sodales ut reciperer, cuius fui sodalis ordinarius per tria semestria, per duo senior, Useneri et Buecheleri beneficio factum est, rectorum praestantissimorum, quibus in regni partem mox tertius accessit Heimsoeth. Praeterea exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt philologicis Buecheler Hiller, archaeologicis Dilthey, epigraphicis Buecheler. De-

Digitized by Google

nique seminario historico sodalem extraordinarium ante hos octo menses, nuperrime vero ordinarium accensuit me Schaeferi et de Sybelii benevolentia. Quorum virorum eximie de me meritorum nunquam fiet quin gratissimo animo recolam memoriam. Vsenero vero et Buechelero, quorum benignissimum atque amicissimum aut consilium aut auxilium nunquam mihi defuit, tantum debeo gratiarum quantum alii nemini.

Digitized by Google

Themata.

I. Diogenem Sinopensem cynicum comicus nescioquis cavillatur ap. Julian. orat. VI, p. 195 B. Sp. versibus hisce leviter immutatis:

ἄπολις ἄοικος πατρίδος ἐστερημένος,
οὐκ ὄβολον οὐ δραχμὴν ἔχων οὐδ' οἰκέτην,
ἀλλ' οὐδὲ μάζαν.

cod. *οὐκ ὄβολον οὐ δραχμὴν οὐκ οἰκέτην ἔχων*. Deridet autem comicus tragici cuiusdam verba ap. Laert. D. VI, 38 (coll. Ael. V. H. III, 29).

II. Pomponii comici vv. 21 sq. Ribb. sic in duas personas dispertiendi:

Immo mane,
non esuribis diutius! — Qua re? — rogas?

(Nonii codd. roga.) coll. Ter. Andr. 909.

III. Arist. Pac. 1220 M. scripsit: *κρεῖττον γὰρ ὁτιοῦν* (codd. *ὦ τᾶν*) *ἐστιν ἢ μηδὲν λαβεῖν*. coll. Demosth. XX, 16.

IV. Valerius Marcellinus (Capit. vit. Max. et Balb. IV, 5) et Fabius Marcellinus (Vopisc. Prob. II, 7 coll. Lamprid. Alex. Sev. XLVIII, 6) duo unius hominis nomina sunt.

V. Arist. Eccles. 69 spurius coll. v. 25.

VI. Herodes Atticus a. 115 Athenis archon fuit eponymus.

Digitized by Google

VII. Arist. Eccles. 72 scribendum: *ὑμεῖς δὲ τί φάτ'; — ἔχουσι· κατανεύουσι γάρ.* (codd. *τί φάτε; φασί.*)

VIII. Varron. Atac. Argon. III fr. 2 ed. R. primo libro vindico.

IX. Arist. Plut. 184 sq. emblema sunt.

X. Anth. Pal. VII, 13 Leonidae Tarentini est.

XI. Statuae quam Lolliano sophistae Philostr. V. S. I, 23 in foro Atheniensi positam refert, epigramma superest in Ephem. arch. 53.

XII. Adde lexicis substantivum *τὸ ἔργος* ex tit. ap. Le Bas. part. V p. 205 n. 640 (ΑΠ . ΡΓΕΟΣ) et ibid. p. 428 n. 1720: *ἔργεσι καὶ σοφίῃ.* Utrumque temere mutavit Waddington.

XIII. Titulos qui ex lapidibus transcribunt nisi summa accuratione minutissimas cum litterarum tum scripturae abnormitates tradant nec grammaticis neque historicis litteris bene consulunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google